BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
70
12

14
5 F
13

IVLII CASTELLANII FAVENTINI IN LIBROS ARISTOTELIS DE HVMANO INTELLECTV.

DISPVTATIONES, SIVE LVCIDISSIMI Commentarij, ex doctrina Chriſtianorum Auctorum, ac Philoſophorum antiquorum deſcripti.

AD COSMVM MEDICEM Florentinorum ac Senenſium Ducem.

Index rerum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA ...ORIO EMANUELE

VENETIIS, M D LXVII.

COSMO MEDICI FLORENtinorum, ac Senenſium Duci præſtantiſſimo.

Iulius Caſtellanius Fauentinus.

P. D. F.

CVM multa ſint in Philoſophia, PRAESTANTISSIME COSME, & grauia, et utilia accuratè, copioſeq; à Philoſophis pertractata, maximè omnium magnifica, & ſalutaris uidetur eſſe de Mente Humana diſputatio. Nam cùm is locus totam Philoſophiam ſummopere illuſtrat: tum ad firmandam fidem, et pietatem erga Deum pulcherrimus eſt, & ad moderandam religionem neceſſarius; eaq; niſi, quæ huc pertinent, rectè dijudicentur, in ſummo errore, neceſſe eſt, hominem, atque in maximarum rerum ignoratione uerſari. Quamobrem illud iam tritum à Delphico præceptum Apolline, NOSCE TE IPSVM, toties à Platone celebratur, itaq; Primo in Alcibiade exponitur, ut animum noſtrum,

ac huius præcipuè partem, in qua uirtus, intelligen-tiaq; reſidet, diligenter intueri, conſiderare, & agnoſcere debeamus: quòd hæc ſit hominis ſumma ſapientia, ut ſe ipſum ignorare, eſt ſummæ dementiæ. Cæterum, ut aliorum nunc ſcholas prætermittens de Ariſtotelis philoſophia, quæ eſt longè omnium nobiliſsima, ſermonem habeam, uniuerſam eam mihi peruertere, ac inquinare uidetur, qui hanc perperam partem, & negligenter tractauerit. In quem ſanè errorem delapſi ſunt quàm plurimi homines non leuiter eruditi, qui celeberrimi huius Philoſophi opinionem de hac re interpretari uoluerunt. Quanquam enim is locus à tota Peripateticorum familia tractatus fuit uberrimè; adhuc tamen (meo quidem iudicio) non admodum exploratè percepta eſt, ne ſatis apertè doctiſsimi hominis, & Philoſophorum facilè principis explicata ſententia. Quamobrem decreui ego, SAPIENTISSIME DVX, ea mandare literis quæ ſentirem de hac re, cum ſuperiori hyeme ad philoſophandum & otij, & temporis mihi tantum eſſet, quantum appetere debebam. Nec me deterruit copia librorum, qui de eadem materia à nobis græcè, latineq; legantur, cùm quia hic fuit mos patrius philoſophorum, ut eadem tractarentur à multis

neque

neque iuniores Accademicos, Stoicos, Peripateticos, & Epicuros unquam à ſcribendo tardarent, quæ eadem prius ab eiuſmodi ſectarum ſenioribus & copioſè, & eleganter diſputata fuerant; ex quo libris planè omnia referſerunt, nec non Philoſophia ex humili loco ad ſummum & dignitatis, et laudis gradum peruenit: tum prӕterea, quod multi interpretum Latinorum libri (ut de iſtis præſertim loquar) neque diſtinctè, neque diſtributè, neque eleganter, neque ornatè de hac re ſcripti eſſe uidentur; ex quo profectò cenſueris eorum authores intemperanter abuſos fuiſſe & otio, & literis. Iam uerò, cum honeſta, ſatisq; laudabili ratione motus latere nollē hos meos commentarios, Tibi eos potisſimum (qualeſcunque eſſent) dicandos, ILLVSTRISSIME COSME, atque in diuino ac immortali nomine tuo duabus maximè de cauſis emittendos eſſe duxi. Primum, quod ego incredibili ardebam deſiderio Tibi ſignificandi maximam meam erga Te pietatem & obſeruantiam, quæ mecum ſemper adoleuit in me à pueris orta, poſtquam ex parentibus ſæpe meis audiui, Petrum Nicolaum patruum meum, eruditiſſimum illum uirum, atque Philoſophiæ, & aliarum bonarum artium ſtudio præſtantiſſimum, Maio

rum

*rum tuorum ſingulari eximiaq; uirtute hominum ſtu-
dioſiſsimum ſemper fuiſſe, & illis cariſsimum, quo
tempore maxima cum ſui laude & gloria Piſis Phi-
loſophiam publicè profitebatur; ac deinde ſuos pul-
cherrimos de animorum noſtrorum immortalitate li
bros Clementis VII. & II. ex clariſsima gente
Tua ſummi Pontificis, nomini conſecraſſe, & ab eo
ſanctiſsimo ac beatiſsimo uiro egregijs ſanè laudibus
honeſtatum, et ſummis amplificatum honoribus fuiſſe.
Altera uerò cauſa me impulit, quoniam hanc meam
de Humana Mente diſputationem proprio Tibi iu-
re deberi intelligebam: quippe qui omnibus Clariſſi-
mis uiris, qui ſunt, fuerunt, erunt, mente, uirtute
ſcilicet, ac ſapientia præſtas. Nam quanta æquita-
te animi, atque modeſtia (ut à primis laudibus Tuis
capiam exordium) quamuis tunc decimum et octauum
annum uix ageres, ad rei Florentinorum publicæ gu-
bernationem à tuis ciuibus uocatus acceſsiſti? Quàm
uirili cōſtantia, ſapientiq; conſilio præclarum deinde
imperium, quod Tibi ſumma Dei prouidentia da-
tum eſſe, iam diuinaueras, quanquam maximæ au-
thoritatis uiri te ad deponendum illud hortabantur,
cunctis animi, & corporis uiribus tueri, & conſer-
uare uelle, ſignificaſti? Quàm incredibili pruden-*

tia, quam celeritate mirabili paucis poſt menſibus eadem penitus nocte, et hora ad Montem Murlium, Bactianamq; Abbatiam, ſatis inter ſe diſtantes locos, inimicorum ciuium, qui conſpirauerant contra dignitatem tuam, impetum præueniſti? profligaſti copias, & occidiſti? tanti facinoris principes authoresq; cœpiſti? ſeditioſorum, ac turbulentorum hominum uires penitus fregiſti? & clandeſtinum bellum aduerſus Te commotum, graue ſanè, & periculoſum extinxiſti? Quid autem loquar de maxima humanitate ac benignitate tua in multos exules eodem bello captos, qui, cum ob nefarium ab eis patratum ſcelus digni etiam eſſent morte nefaria, admirabilis clementiæ tuæ iudicio ſunt conſeruati? Quid iterum dicam de ea inuſitata inauditaq; clementia, qua alios tot exules, & relegatos ante ab Alexandro agnato Tuo, Principe ſanè magnanimo, atque fortiſſimo, in patriam reſtituiſti; eosq; ueteris oblitus iniuriæ perpetuò fouendos, & honeſtandos ſuſcepiſti? Quid ponam ante oculos nouas abs Te fundatas urbes, munitas priſcas & inſtauratas, nouas erectas, atque conſtructas arces, nouas colonias abs Te deductas, ſuppletas ueteres, noua concilia cœtusq; hominum ſingulari eximiaq; uirtute tua ſociatos? Quid alterum

rum nunc Senenſe bellum commemorem tam magno, prudentiq; conſilio à Te ſuſceptum, & ita proſperè feliciterq; confectum? In quo ſuperato à Te, atque proſtrato fortiſsimo uiro, ac ſummo Imperatore, perpetuo illo, acerrimoq; hoſte tuo, qui tam magnis copijs uniuerſam premebat Hetruriam, ac imperium tuum ſummum in periculum atque diſcrimen adduxerat, eam Tibi laudem, & gloriam comparaſti, quæ cum maximorum omnis memoriæ Imperatorum, & clarisſimorum Regum rebus geſtis facilè conferri posſit; atque non ſolùm noſtris; ſed penè omnium gentium literis, ac linguis celebrari debeat. Atque hæc à me hucuſque dicta niſi quiuis ita magna eſſe fateatur, ut ea uix mente noſtra aut cogitatione percipi posſint, amens ſit. Verùm in Te maiora ſunt alia, MAXIME DVX, *quibus multò maioribus etiam dignus es laudibus. Immo uerò illa, quæ mox dicturus ſum, eam Tibi gloriã pepererunt, in qua ſocium habuiſti neminem, cuius nullam omnino partem centurio, nullam præfectus, nullam cohors, nullam ſibi prorſus illa ipſa rerum humanarum domina fortuna uendicare poteſt: ſed eiuſmodi gloria, quæ certè maxima eſt, tua tota, & propria cenſenda eſt, tota eſt tuarum ſingularium, ac propè diuinarum*

rum uirtutum fructus. Eæ porrò illæ ſunt, quas Plato ſapientiſſimus uir, atque diuinus Principem optimum, & hominibus colendum, ac ſummo Deo carum efficere prædicauit, rei inquam familiaris, ac publicæ regendæ prudentiam, temperantiam, atque iuſtitiam. Quæ quidem tres longè omnium uirtutes clariſſimæ in Te uno ſummæ ſunt, EXCELLENTISSIME COSME, *easq; ita ſemper amplexus fuiſti, coluiſti, exercuiſti, ut nuſquam nec priuatus homo, nec princeps res domeſticas Te melius tueatur, & lautius; neque ulla alia in toto terrarum orbe reſpublica nobili Florentinorum, Senenſiumq; natione adminiſtrata prudentius, nec melioribus temperata inſtitutis, ac legibus eſſe dicatur, ac præterea neminem habeas (quæ tertia tua eſt ſumma laus, & immortalis) qui in moderandis cupiditatibus, & regendis animi motibus Tecum comparari queat: quippe qui maximè omnium noueris, neminem moderari alios, et in officio ſatis continere poſſe, qui ſe ipſum ante moderari, & continere non didicerit; nec non temperantiam conſeruatricem ueluti quandam eſſe prudentiæ, & iuſtitiæ altricem, ac omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, præclarum ſanè modum, & ordinem. Hinc ſanctitas, omnis*

hinc religio, hinc tuus extitit erga Deum Opt. Max: ac cæteras beatas mentes incredibilis amor et pietas: Ideo Te iure meritò exteræ nationes & gentes, non modò noſtræ, ſummis efferunt laudibus, Teq́; unum, ueluti clariſſimũ iuſtitiæ lumen, & ſpeculum, ac optimi principis exemplar de cœlo lapſum, intuẽtur, admirantur, & colunt. Soleo ſæpe ego, MAGNANIME COSME, alios familiæ tuæ prudentiſſimos, & clariſſimos uiros, Pontifices, Cardinales, Duces, Imperatores, ac illud Præſtantiſſimi Patris Tui immortalitate dignum ingenium mihi ante oculos ponere, eorumq́; uirtutes eximias; & laudes contemplari, quæ perpetua hiſtoriarum memoria ſunt celebratæ. Sed in illis me hercle non fuit tanta prudentia (ſummam obſecro modeſtiam Tuam, ut me liberè, quæ uera ſunt, loqui patiatur) non fuit tanta grauitas, tanta conſtantia, tanta innocentia, tam mira facilitas, tanta temperantia, tam acre, & magnum ingenium, tam incredibilis probitas, tanta fides, tam excellens denique in omni genere uirtus, ut maior atque perfectior in Te à prudentibus uiris cerni non poſſit. Illi quidem ſuis egregijs uirtutibus omnem laudem uicerant ſuperiorum: Tu uerò incredibili Tua, diuinaq́; ſapientia omnem Maiorum

Tuorum

Tuorum gloriam longè ſuperaſti. Vnde illud etiam affirmari poſſit, certè non abſq; diuino numine Tibi præclarum adeò nomen ab initio impoſitum fuiſſe: quippe qui futurus eras totius orbis ſplendor & ornamentum: nec ulli mirum uideri debeat, ſi hucusque ope auxilioq; eiuſdem Dei, in cuius tutela es, tam ſæpe paratas Tibi ab improbis hominibus inſidias uitaueris, totq; coniurationes prius manifeſtè deprehenderis, quàm conflatæ ab inimicis tuis, & ad exitum perductæ eſſent: ſi ex ELEONORA *maximè illuſtri atque clariſſimo in Hyſpanijs Toletanorum Principum ſanguine orta, ſingulari quidem fide, honeſtate, ingenio muliere, Tibi à* CAROLO V. *Summo, ac Optimo Imperatore in matrimonium collocata, tot magnanimos, ac pulcherrimos filios habueris, & præcipuè* FRANCISCVM PRINCIPEM, IOANNEMQ; CARDINALEM *eximia ſpe ſummæ uirtutis adoleſcentes, qui ob excellens utriusq; ingenium, & quòd ſunt ueræ quædam, ac uiuæ paternæ probitatis imagines, ſummopere ab omnibus diliguntur, & obſeruantur, ac Tibi ſunt uita ipſa iucundiores. Neminem præterea mirari oportet, ſi Te cæteri omnes Europæ Principes tanti*

 faciunt

faciunt, tantumq́; tribuunt iudicio tuo grauiſsimo & maximo: Si anno præterito PIVS IIII. PONTIFEX MAX. Te Romæ præſentem uidere, Te amplexari tanta humanitate, tanta manſuetudine, Tecum manere, ſuauiſsimos Tecum, & grauiſsimos habere ſermones concupiuit; ſi tam incredibili affectus ſit gaudio Tua præſentia, ut huic Sanctiſsimo homini in maxima felicitate, & in ſummo omnium dignitatum gradu collocato illo aduentu, eaq́; Tua per duos ferè menſes in urbe manſione nil uiſum ſit potuiſſe maius, nihil euenire iucundius. Tu enim ille es, POTENTISSIME DVX, in quem unum Italiæ populi, cæteriq́; Principes conuerſi lumen animi, ingenij, conſilijq́; Tui oſtendi, ac porrigi omnes ſibi expetunt. Deſinant iterum mirari homines, ſi Tibi fuit ad amplitudinem & gloriam, & ad res magnas bene gerendas quædam ſemper diuinitus adiuncta fortuna, ac ſi à Deo Opt. Max. tot, & tantas res optare nemo audeat, quot, & quantas Deus Opt. Max. ad Te non detulerit, ac maiora indies deferat. Hæc enim omnia, quæ extera dicuntur bona, felicitatem Tuam, quæ ſita eſt in præſtantiſsimarum uirtutum actionibus, cœleſti quadam ui, diuinoq́; numine ornant,

& co-

& comitantur: ſiquidem optimum Principem iuſtè, temperatè, prudenter ſuas gubernantem gentes, ac populos, tanquam ſimulachrum eius ſanctiſſimum, perpetuò diligit, tuetur, ac fouet Deus, in eiusq́; poteſtate fortunam ponit, ac beneuolentiam ipſi omnium conciliat, & gratiam, benigneq́; ſemper, & liberaliter omnia largitur ex animi ſententia. Hæc igitur ea ſunt, BEATISSIME PRINCEPS, *quibus non modò præſens mea diſputatio, ſed omnium etiam bonarum artium lucubrationes et monumenta proprio Tibi iure quodammodo debentur, maximæ nimirum Tuæ, clariſſimæq́; uirtutes, quarum difficilius eſt exitum, quàm principium inuenire: nullius enim tantum eſt flumen ingenij, nulla dicendi, aut ſcribendi tanta uis, tantaq́; copia, quæ non dicam amplificare, ſed ſummas earum laudes enumerare poſſit. Spero autem, hos meos cõmentarios, cum ex Ariſtotelijs fontibus hauſti ſint, Tibi pergratos fore: Tu enim aliter ſentis, ac alij multi Principes, qui eiuſmodi rerum diſputationes ſibi minime decoras putant, quaſi oporteat Clariſſimorum hominum aut tacitos eſſe congreſſus, aut ludicros ſermones, aut rerum colloquia leuiorum. Immo uerò Tu,* PRVDENTISSIME COSME, *Philoſophiam*

ſophiam optimo, atque ampliſsimo quoque digniſsimam eſſe iudicas, & ad regendos populos quàm plurimum huius conferre notionem, multumq́ ſplendoris et gloriæ ad populares Principum, illuſtresq́ laudes adiungere. Quamobrem magis cùm aliarum pulcherrimarum rerum ſcientiæ, tum Philoſophiæ deditus es, quàm, qui ſtudia Tua ignorant, arbitrantur, & grauiſsimis, ac ſanctisſimis Philoſophorum ſermonibus maximè delectaris, eosq́ magna ſemper beneuolentia amplexus es, fouiſti, auxiſti, & honeſtaſti. Quam præclarisſimam tenere uiam, perge quæſo, OPTIME *omnium* PRINCEPS; *atque, quò diu ſis felix, & maiora etiam accipias à Deo, prudentiam, ut cœpiſti, iuſtitiamq́ cole.*

Ad Iulium Caſtellanium Philoſophum Antonij Sulphrinij Epigramma.

Dum IVLI aureolo tuo libello
Docto (iuppiter) ac pereleganti
Romano eloquio explicas uetuſtum
Magni Ariſtotelis librum politè,
Humana ille ubi diſputare tentans
De mente ambiguè fuit locutus,
Aut Ariſtoteles tibi miniſtrat
Dicta ſe ſe animis tuis remiſcens,
Aut Ariſtotelem nouum uetuſtæ
Aetas te tulit æmulata noſtra.
Aſt idem aureolo tuo libello
Dum ſenſus dubios refellis omnes,
Et, quæ religio docet uerenda,
Comprobas pius, impiosq; damnas,
Et negas animos perire morte,
Næ mentem ſuperum tibi benignus
Inſpirat Pater ipſe ter beatam.
Hinc Ariſtoteles tibi ipſe cedit:
Hinc uerè aureolus tuus libellus.

Eiuſdem Sulphrinij de eodem.

Humanæ uires animæ dum fortè requirit,
Incidit in tenebras magnus Ariſtoteles:
Hisq; diu nox illum, & inextricabilis error,
Detinet, atque auras ille uidere nequit,
IVLIVS aſt hominis ſortem miſeratus iniquam
Arte noua illum atris elicit è tenebris:
Mox humili eductum linquit tellure ſub auras,
Et cœli pennis ardua templa petit.
Hic uidet ille animæ noſtræ immortalis honores,
Hicq; beatorum præmia magna uidet.
IVLIVS eſt ne igitur magis hic, an Dædalus alter
Iam magno uiſus maior Ariſtotele?
IVLIVS eſt (fateor) ſed quem contendere contra
Viribus ingenij Dædalus ipſe neget.

AVTHORES ET PHILOSOPHI, qui in hoc opere nominantur.

Ariſtoteles.
Alexander Aprodiſienſis.
Alexander Pancius.
Algazel.
Anaxagoras.
Ammonius.
Athenagoras.
Auerroes.
Auguſtinus ſueſſanus
Argyropilus.
Benedictus Māſolius.
Beatus Thomas.
Calippus.
Cicero.
Democritus.
Diogenes Laertius.
Epicurus.
Eudoxus,
Empedocles.
Franciſcus Robortellus.
Galenus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nicenus.
Horatius Malecutius.
Ioannes Grāmaticus.
Iuſtinus Martyr.
Lyſias Thebanus.
Moſes Roua.
Nicolaus Leonicus.
Olympiodorus.
Origenes.
Paulus Manutius.
Proclus.
Plato.
Petrus rictorius.
Petrus Pomponatius.
Petrus Nicolaus Caſtellanius.
Plutarchus.
Pythagoras.
Simon Portius.
Simplicius.
Socrates.
Themiſtius.
Theodoretus Epiſc.
Theophraſtus.
Vincentius Madius.
Xenophon.
Zeno.

IVLII CASTELLANII FAVENTINI IN TRES LIBROS DE HVMANO INTELLECTV PROOEMIVM.

CVM Ariſtoteles,vir ſumma eruditione,excellentiq; ingenio, ac verè ſingulari in naturalium, & diuinarum rerum cauſis indagandis ſemper ferè ab aliorum Philoſophorum opinionibus receſsit,ac nouam quã dam, præclaram ſanè,& faciliorem inuenit methodum philoſophandi: tum præſertim in natura Humanæ Mentis explicãda longè diuerſam ab omnibus ſententiam habuit. Nam cum ex Philoſophis, qui ante ipſum, & cum eo vixerunt,aliqui, vt Democritus,& Epicurus,animum noſtrũ penitus interire crediderint: cęteri verò omnes eũ vim & naturam quandam diuinam eſſe & immortalem aſſeuerauerint, ſolus Ariſtoteles diſſenſit ab omnibus,& media quadam via progreſſus eſt, vt pote qui naturalium rerum principia, & ordinem nunquam euertere aut labefactare voluit; & nihilo minus hominem maximè rebus præſtare omnibus,quæ à Natura procreentur & ad cœleſtium ac beatarum mentium nobilitatem propè accedere,animaduertit. Verùm Hic ſententiam ſuam adeò conciſis, & non ſatis interdum apertis verbis, tantaq; docendi argutia,& acumine pronunciauit; vt nõ paruam eius interpretum animis ambiguitatem iniecerit,ac inter illos maximam ſeditionem diſcordiamq; concitauerit. Quo factum eſt,vt inter ea, quæ diſſeruntur à Peripateticis,id negocij ſit omnium difficillimum, & maximè laborioſum, quod in Humani intellectus natura perquirẽda verſatur.

Hanc rem veteres latini omnes, & Græci Ariſtotelis interpretes agitarunt. Verùm ſi iſtorũ dicta ritè conſideraueris, tametſi in duas oppoſitas partes à te diuidentur, tãtam me hercle in eis varietatem inuenies, ut, cum propius credideris accedere ad veritatem, tunc magis, te ab ea deſciuiſſe, perſpexeris. Et quanquã hac noſtra, & ſuperiori ætate quidam Clariſsimi Viri omne ſtudium & diligentiam adhibuerunt, ut Ariſtotelis ſententiam explanarẽt, eamq; apertam & lucidiſsimam redderrent, quò tot Græcorum, & veterum Latinorum controuerſiæ ac lites comprimerentur: ij tamẽ adhuc id mihi nequaquam ſatis præſtitiſſe videntur. Petrus Pomponatius inter Peripateticos valde illuſtris Philoſophus ſatis copioſè, & ſubtiliter ſcripſit de hac re, ſeq; omniũ maximè, qui Aphrodiſienſis Alexandri partes tuentur, Ariſtotelis verba credidit illuſtraſſe. Verùm ſanè & in exponendis ſententijs Philoſophi, & in Alexandri Aduerſariorum argumentis diſſoluẽdis complura ab hoc Doctiſsimo Viro deſiderare potes. Auguſtinus etiam Sueſſanus, vir magis ſua ætate celebris, quàm conſtans philoſophus, longiſsimis verbis, nec ſemel eandem cauſam egit; aduerſusq; Pomponatium ſurrexit, & Auerrois figmẽtum mordicus vbiq; defenſitauit. Cuius quidem viri ſcripta ut non contempſi, ita etiam nunquam valde probaui. Sueſſani deinde Collega Petrus Nicolaus, Patruus meus, vir ſumma pietate, pręclaraq; eruditione atq; doctrina, nec non inter Philoſophos ſui tẽporis valde Clarus & Nobilis, admodum elegans, & doctum opus de eadem re ad Clementẽ VII. Pont. Max. ſcripſit, in eoq; ſingulorum hominum immortales eſſe animos, iſtoſq; aliquando in hunc modum reuerti, rurſusq; iungi corporibus, ex Ariſtotelis ſententia demonſtrauit. Quam opinionem miram profectò, & cuiuſuis Peripatetici auribus inauditam, præſertim excepit è quodam libro, qui Theologia, ſiue, Myſtica Ariſtotelis Philoſophia, inſcriptus eſt, & ab eo latinitate donatus, cum prius à quodam Moſe Roua in barbarum potius, quàm latinum ſermonem ex Arabica lingua traductus fuiſſet. Ego verò (ſi ob veritatis amorem, & cultum liceat mihi à præſtantiſsi Patrui mei opi-

nione

nione diſcedere)eum librũ aut falsò Ariſtoteli aſcriptum fuiſ ſe arbitror; aut, ſi illum ſcripſerit Ariſtoteles, omnia ferè in eo ſecundum Aegyptiorum , & Pythagoricorum opinionem, nõ autem ex propria mente Philoſophum, cẽſeo, pronunciaſ ſe. Atq; in hanc addúcor ſententiam; quòd nullam prorſus Diogenes Laertius de hoc libro mentionem facit; ac tot in eo reperiuntur Ariſtotelis principijs contraria, quæ ipſe nõ ſemel animaduerti; ut vix excogitari poſſit, ab vllo Peripatetico, nedum ab ipſomet Ariſtotele fuiſſe conſcriptum. Patruus autem meus, qui ſemper, ut mirum ac præſtantisſimum Ariſtotelis ingenium in cœlum extolleret, eius doctrinam ſanctiſsimis & veriſsimis religionis noſtræ decretis valde ſimilem reddere conabatur, fortaſſe finxit, ſe aſſentiri illis, qui eum librum, Myſtica Philoſophia inſcriptum Ariſtoteli attribuerunt, cum hoc eius propoſito vehementer conduceret. Simon tandem Portius paucis abhinc annis Diſputationem de Mente Humana edidit; in qua methodum, qua vſus eſt Ariſtoteles in libris de Anima, ſe explicaturum pollicetur, vt omnis tollatur controuerſia, quæ hucuſq; Philoſophi interpretes valde torſit. Verùm, quãuis huic Viro Literatiſsimo, grauiſsimoq; Philoſopho primas tribuẽdas eſſe cẽſeã inter eos, qui eiuſmodi ſtadium cucurrerunt; hic tamẽ haud verè metam mihi attigiſſe videtur. Si quidem in intellectus noſtri natura explicanda longè receſsit, meò quidem iudicio, à ſentẽtia Ariſtotelis: præterea arbitror eam methodum clarius à nobis explanari poſſe, qua vſus eſt Ariſtoteles, cum de Mente Humana pertractauit. Nos igitur ob ſupraſcriptas cauſas tentare decreuimus, ſi nonnulla, quę adhuc ſuperſunt, planiora & lucidiora reddere poſſemus. Et quanquam nobis, qui non ſatis hucuſq; in ijs philoſophiæ ſtudijs confirmati ſumus, valde arduum ac perdifficile erit, aliquid addere, vel ſubtrahere dictis Eruditiſsimorũ Hominũ, qui ante nos diſputationes de hac re monumentis literarũ mandarunt: attamẽ in eundẽ curſum prodire nõ dubitamus, iis præſertim freti præſidiis, quibus à Doctiſsimo Vincentio Madio, Philoſopho Celeberrimo aliàs muniti ſumus, cũ ille in Ferrarienſi Academia

tertiũ librum de Anima interpretaretur. Ego enim res naturales tractans nunquam debeo à ſententiis illius recedere: quippe qui Eum nouerim ita aperte, accuratè, luculenter Ariſtotelis libros explicare, ut mihi ſemper gloriari, ſemper fortunæ, & Deo gratias agere licuerit, quòd Hunc Præſtantiſsimum Virum, & nunquam ſatis laudatum mihi tribuerint præceptorem. Illud verò, quod mihi propoſitum eſt, ſi non perfectè planeq; exequar, id ſaltem me conſecuturum ſpero, ut ſcribendo, quæ ab aliis percepi, & à me ipſo excogitaui, aliquantum me in iis ſtudiis ſenſerim profeciſſe. Si quidem illud ſemper exiſtimaui, nos parum fructus, & laudis ex nobiliſsimis Philoſophiæ ſtudiis percepturos eſſe, niſi ei curæ & diligentiæ, quæ & legendi, & audiendi ſumma quotidie adhibenda eſt, aliquod exercitationis genus adiunxerimus. Nos igitur, cum hæc quæſtio de Mente Humana toties habita fuerit, & innumerabilia propè argumenta à Doctiſsimis Hominibus vltro, citroq; adducta ſint, ad illud præcipuè intendemus, vt Ariſtotelis cõtextus perpendamus diligenter, eosq; aperte, ac vberius, quàm alii fecerint, explicemus, in quibus ille verè & propriè de Humani intellectus natura locutus eſt: ſi quidem cum animi noſtri ſubſtantiam naturamq; nouerimus, perſpicuum deinde nobis erit, quid de eiusdem mortalitate, vel æternitate ex Ariſtotelis ſententia ſtatuere debeamus. Quamobrem haud multum temporis in adducendis, reiiciendisq; aliorum opinionibus conterendum eſſe duximus: cæterum hac in parte tantùm elaborabimus, vt Simplicij ſententiam in medium afferamus, eamq; quoad eius fieri poterit, explodamus: propterea quòd hæc opinio, quæ ab Auerrois, & aliorum Græcorum ſententia aliquantum diſtare videtur, hac noſtra ætate acerrimos habet fautores, & firmioribus etiam nunc rationibus euerti poteſt, quàm hucuſq; ab aliquo factum eſſe perſpexerim. Hanc verò Diſputationem noſtram in tres partes totam diſtribuemus: primũ enim Smplicii eiusq; ſectatorum opinionem, & fundamenta breuiter adducemus, eaq; tollere funditus enitemur: deinde explicabimus noſtram de Humana Mente ſententiam, quàm

plane

planè tenuiſſe Ariſtotelem opinamur. In tertio autem libro oſtendemus, quæ ſit vera quorundã locorum explicatio, qui huic aduerſari, eamq; repellere videntur; ac tandem, quid nos Chriſtiani orthodoxi hac in re credere, conſtanterq; aſſeuerare debeamus, & quæ rationes ex noſtrorum Theologorum fontibus hauriri poſsint, vt Veterum tollantur errores Philoſophorum. Sed prius, quàm illa conor attingere, quibus Simplicii Summi Peripatetici, hominiſq; non leuiter eruditi explicari, & reijci opinionem putem, quædam dubia, & ſcrupuli ex mentibus aliquorum hominum mihi eijciendi quidem videntur.

QVIBVS DE CAVSIS DE HVMANO INTELLEctu uaria ſenſerint interpretes Ariſtotelis: & nos poſſe abſq; ulla ſuſpicione, tanquam Philoſophos, mortalitatem, æternitatemq; tueri. Cap. I.

QVanquam interpretes in Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum opinionibus enarrandis integro, ac libero animo eſſe debent: multi tamen cùm in cæteris Ariſtotelis Commentariis, tum præſertim in libris de anima interpretandis ab eiuſmodi deceſſerunt lege, & alium ſibi finem potius, quàm veram & puram Philoſophi ſententiam, propoſuerunt. Quidam enim cum doctiſsimorum virorum, veluti Auerrois, & Simplicii dictis ſe addixerint, propeq; conſecrauerint, horum explicationes vbiq; cæteris omnibus anteponunt; ac ne tantillum quidem ab eorum ſententiis diſcedẽtes intellectus noſtri vnitatem, æternitatemq; pugnaciſsimè defendunt. Alij verò, cum noſtrorum Theologorum, & Sanctiſsimæ Romanæ Eccleſiæ decreta cognouerint, ne quibuſdam minus creduli viderentur, aut aliis inijcerent ſcrupulos, veriti ſunt explicare, quid ipſi, tanquam philoſophi, de animi noſtri immortalitate ſentiant. Et ſi qui inter hos auſi ſunt Ariſtotelis ſententiam de Mente Humana proferre, ut perfidiæ omnis fugerẽt ſuſpi-

cionem,

ctionem, omne ſtudium, atq; ingenium ad id contulerunt, ut hac in parte non minus Phyſicos, quàm verè Theologos præ ſe ferrent. Quamobrem illi ea quidem ratione opinionem Ariſtotelis declararunt, vt mentes humanæ ſint totidem numero, quot ſunt homines, eæq; à Deo Opt. Max. procreentur, ac veluti formæ corporibus affigantur adeò, vt nullo vnquam deinde tempore interire poſsint. Quorum equidem Doctiſsimorum Hominum, quamquam aliàs ij á me ſummo pere commendantur, hoc in loco propoſitum nequeo comprobare. Porrò illi (nam de ijs primùm mentionē fecimus) qui ad vnius Auerrois, vel Simplicij anthoritatem ſe contulerunt, omniaq; ex illorum ſententia iudicant, plerumq; erran di latam ſibi viam aperuerunt. Nam tametſi in omni philoſo phandi genere fortaſſe ad Ariſtotelis doctrinam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcere debemus: attamen non decet nos eodem modo illius interpretibus aſtrictos teneri: ſed operæ precium eſt hac in parte nos liberiores, & ſolutiores eſſe, quò in tegra iudicandi poteſtate, ac ſine vlla pertinacia, quid verè & cōſtanter vbiq; afferat Ariſtoteles, perquirere valeamus. Quāobrem, cum ueri interpretis munere fungemur, modò aſſentiemur Simplicio, modò Themiſtium cæteris præferemus, modò in Auerrois ſententiam ibimus, modò Alexandri maximè omnium probabimus explicationem. Iam verò eos con uenio Philoſophos. qui non audent de mente humana propriam aperire ſententiam, pios me hercle & religioſos homines; quorū ſollicitudo & timor inanis mihi quidem uidetur. Siquidem cum tot iam ſecula Ariſtotelis philoſophia præ om nibus ita floruerit, ut per uniuerſam ſemper Europam Excel lentiſsimi Duces, Potentiſsimi Reges, Imperatores Maximi, Summiq; Pontifices conuocarint in nobiliores urbes Doctiſſimos Viros, adhucq; cōuocent, ut Ariſtotelis libros interpre tentur, ac ſolùm eius profiteantur, tradantq; doctrinam; quid metuendum eſt nobis, quid nos hærere oportet, cum ad libros de Anima peruenerimus? Profectò eiuſdem modi homines ignorare uidentur, quàm Chriſtiana fides, & charitas à philoſophandi ratione diſtet, & quàm nullius ſint ponde

ris

ris Ariſtotelis inuenta, & argumentationes ad Sanctiſsimę Religionis noſtræ decreta labefactanda, & clariſsimis huius lumi nibus obſtruendum. Quis verò mentis compos vnquam crediderit, vllum eruditiſsimum virum adeò rationibus naturalibus adduci, & moueri poſſe, vt in eis, quæ ad Religionem Noſtram attinent, magis Ariſtoteli, quàm diuinis Romanæ Eccleſiæ decretis aſſentiatur, & optimam Sanctiſsimamq; noſtram fidem violet, quam tot Theologi Sapientiſsimi ſacris literis, diuinoq; ſpiritu maximè celebrarunt? quam tot Prophetarum, ac Martyrum diuinationes, tormentaq; confirmarunt? quam ipſe Opifex totius Aedificatorq; mũdi Deus Cariſsimi Filij ſui, & Seruatoris Noſtri ore & verbis tradidit nobis, & piè, accuratè firmiſsimeq; ſeruandam iuſsit? Porrò iſtud hinc facilè patere poteſt: nos enim Ariſtotelis fundamentis innixi de mundi æternitate, de cœleſtium corporum motu, de Dei Opt. Max. intellectione, de eiuſdem efficientia, ac poteſtate, nec non de ea prouidentia, quæ vniuerſas res humanas, diuinasq; adminiſtrat, complura ſine vlla cunctatione & metu proferimus, quæ Religionis Noſtrę monitis aduerſantur; nec tamen ex eiuſmodi dictis viſum eſt, vnquam ſuſpicionem vllam, aut perfidię errorem emanaſſe. Audacter igitur etiam poſſumus de animi noſtri ſubſtantia ac perpetuitate diſſerere, perpendereq; diligenter, quid de eo decernendum voluerit Ariſtoteles. Si quidem, cum nos philoſophamur, ex aliorũ ſententia loquimur, ſemperq; vt Chriſtiani, Sacrarũ Literarum precioſiſsima monumenta piè colẽda, & obſeruanda ſupponimus. Cum verò ad Chriſti mandata nos vertimus, eaq; efficere ac perſequi diligenter contẽdimus, tunc noſtra agimus, quæ animis noſtris æternam beatitudinem, vel miſeriam ſint allatura; eoq; tempore Ariſtoteles, ac cæteri philoſophi cum argutijs ſuis & commentis in alteram, & deteriorem partem à nobis reijciuntur. Sed alloquamur eos, qui alia via eandem fugere ſuſpicionem excogitarunt, tantaq; beneuolentia, ac pietate proſecuti ſunt Ariſtotelem; ut eum in ſtatuenda animorum noſtrorum æternitate omnino Chriſtianum efficere voluerint. Certè ſi iſtorum

Virorum

Virorum cœteris in locis iudicium animaduerteris, eos quidem cenſueris valde eruditos, ac omni laude & gloria dignos ſummorum philoſophorum. Qui tamen hac in parte ab omnium philoſophorum, nedum Ariſtotelis principijs quàm plurimũ receſſerunt. Qua enim ratione ij audent aſſerere, Deum, poſtquam conformatum eſt corpus, & vis alendi, ac ſentiẽdi educta eſt è potentia materię, ex nihilo humanas mẽtes procreare; ſi omnia, quæ fiunt, ex aliqua materia ſubiecta fiunt communi omnium voce & conſenſu philoſophorum? Ex eiuſmodi quidem dicto, ſi defendatur, tot abſurda conſeqnuntur, quę iuniori etiam Philoſophanti perſpicua ſunt, ut nihil abſurdius dici, aut excogitari poſsit. Præterea, cum animi noſtri à Deo Opt. Max. creati ſint, qua deinde ratione affirmant iſti, eos nunquam interituros? Hoc pariter enunciatũ adeò Ariſtoteli, præſertimq; illius dictis in primo Cœli commentario aduerſatur, cum ille omne, quod ortum habet, neceſſariò quoq; aliquando interire conſtanter aſſeuerauerit, ut ſuperuacaneum ſit, iſtud demonſtrare. Ad hæc non ne ij vident, ſe humanas mentes actu numero infinitas introducere, cum ex ſententia Philoſophi æternus ſit mundus, & animi noſtri perpetuò fuerint procreati, adhucq; aſsiduè procreentur? Neq; enim eiuſmodi abſurdum vitari poteſt, quamuis nonnulli dicant, actu infinitum in rebus à materia ſepatis inueniri poſſe; aut ſingulorum hominum animos, cũ poſt mortem remaneant, in numerum actu infinitum non augeri; quoniam in magna annorum periodo iterum Dei pro-prouidentia in corpora reuertuntur. Etenim hæc duo reſpõſa ſunt fabulæ penè aniles, cum apud philoſophos, vt ait Auerroes prima contra Algazelem diſputatione, fieri nequaquam poſsit, vt aliquod infinitum actu, ſiue corporeum, ſiue incorporeum ſit, reperiatur. Præterea in primo de Anima Commentario Philoſophus Democriti, & Pythagoræ opinionem de animorum noſtrorum ingreſſu, & reditu in corpora tanquam fabuloſam irridet, aſſeritq; ſi animi noſtri iterũ in corpora reuerterentur, illud euenturum, vt animalia iam mortua reſurgere poſſent. Quod quidem à Naturali Philoſopho

valde

valde abſurdum cenſetur. Complura alia aduerſus hanc opi nionem adduci poſſent: ſed quia copioſè omnia, & ſubtiliter à cæteris fuerunt examinata, ea nos ſilentio prætermittemus. Tres quidem ſuperiores rationes, quanquam tritas, & vulgatas, minime prætereundas duximus, cum eæ maximè valeant ad iſtorum ſententiam funditus diruendam, qui ſacra cũ pro ſanis miſcere voluerunt, & ea, quæ ſanctiſsimę, ac veriſsimæ Religioñi noſtræ aſtricti credimus, conſtanterq́; aſſeueramus, cum ijs, quæ ex Ariſtotelis ſententia proferimus, & ſcire tantum opinamur. Quare nil mirum, ſi eiuſdem modi homines, dum phyſici, ac Theologi ſimul eſſe voluerunt, neutrum ſuerint conſecuti. Ex numero tamen horum excipiendus eſt Diuus Thomas, qui tametſi in hac diſputatione doctrinam Ariſtotelicam parum ſapere videtur; nihilominus talem ſe Theologum præbet, vt Chriſtiana veritas à Doctore me hercle Angelico planius & apertius explicari minime potuiſſet. Nullus autem præter enumeratas ſectas in medium afferat illos, qui intellectum noſtrum vnum tantùm in ſingulis hominibus reperiri, eumq́; ex parte ortus, atq; interitus perpetuũ eſſe defendunt: quippe quod ij homines, meo quidem iudicio, à Sacrarum Literarum præceptis non minori interuallo diſtant, quàm faciant illi, qui mentem humanam oriri ex ſemine, eamq́; interire etiam aſſeruerunt. Nullus enim poſt mortem animus ab eis oſtenditur, qui ſuperſtes ſit, & ſingularium hominum reſpiciens delectationem, aliam ſanè vitam degere beatiorem poſsit. Verùm, quoniam hæc eſt Simplici opinio, quam ſuperiori Cap. polliciti ſumus examinare, iam eam diligentius conſideremus, & oſtendamus etiam, vt quàm longiſsimè ab Ariſtotelica veritate receſſerit.

SIMPLICII OPINIO. DESTRVITVR. Cap. II.

CVM Simplicius obſcurum, & inuolutum dicendi genus ſemper amauerit, difficile eſt ex ipſius verbis propriam de Humano Intellectu ſententiam elicere. Equidem ſemel bis, atq; iterum legi iſtius in tertium librū de Anima commentarios, & ſemper ferè nonnullis in locis hunc interpretem egere interprete iudicaui. Quid tamen verè ex huius ſententia de Mente Humana ſit decernendum, viſus ſum exacte planeq; percepiſſe ex dictis Eruditiſsimorum Hominum, cum quatuor abhinc annis Patauium alia potius de cauſa me contuliſſem. Quamobrem ego breuibus Simplicii opinionem recenſebo, ut eam ex eius verbis colligere poſſum, atq; vt audiui Patauii apertè copioſè, luculēter explicatam ab ijs, qui vt philoſophiæ, & optimarum artium ſtudiis cęteris valde præſtant, ita ſanè complura Simplicij tenebricoſa dicta illuſtrarunt, claraq; & apertiſsima reddiderunt. Simplicius igitur, atq; ij, qui illum præcipuè ſectantur, & eius ſententiam explicant, Humanam Mentem vnam tantùm numero eſſe dicunt, iſtamq; in intelligētiarum ordinem collocant; tametſi eam longè omnium infimam, & humano orbi aſsiſtere arbitrantur. Quam etiam homini nequaquam dare eſſe affirmāt (ita loquuntur Philoſophi, & ſæpe eorum verbis facilioris doctrinæ gratia vti nos oportebit) ſed aliud ſtatuunt genus animæ, quam Cogitatiuam vocant, à quo informatur homo: ex cogitatiua enim & corpore organico, tanquam ex materia, & forma conflatur homo: ex mente verò & homine, tanquam ex nauta, & naui, nobilius quoddam, atq; diuinum compoſitum oritur: quippe quòd intellectus nobiliſsimam ac diuinam tantùm homini operationem præbet. Addunt præterea, humanum intellectum formas & rationes omnium rerum in ſe ipſo poſsidere, ut etiam aliæ intelligentiæ obtinent. Etenim arbitrantur iſti, quæcunque noſtræ, vel diuinæ mentes comprehendunt, ea tantùm de cauſa intelligere, quòd illorū omnium

nium ideas & rationes in ſe ipſis contemplentur. Cum verò mens humana ſit infima & ignobiliſsima omnium intelligentiarum, hoc ſortita eſt (aiunt iſti) vt extra ſe progrediatur, recedensq; à ſubſtantia propria ad humana corpora labatur; à qua quidem indignitate cæteræ omnes remotę ſunt. In eiuſmodi autem lapſu, tametſi cum ea formæ etiam illæ, & rationes progrediuntur, in ſtultitiam tamen ac ignorationem cùm ſui ipſius, cùm omnium aliarum rerum decidit. Siquidem, cum mole corporis opprimatur, omem amittit perfectionem, & naturam poteſtatis aſſumit, fitq; tabellæ non ſcriptæ conſimilis. Quæ nihilominus iterum conſequi amiſſam nobilitatem appetit: ſed eam non recuperat, niſi cum in rationes illas, quæ in ipſa exiſtunt, conuerſa fuerit, & acquiſierit habitum, propter quem mens deinde, ſeu intellectus in habitu vocatur. Duobus enim modis volunt intellectum noſtrum nobiſcum copulari, priori ſanè, quando in ortu, quamprimum cogitatiua introducta fuerit, cum nobis pueris iungitur, & eſt ſimilis nautæ, qui ingreſſus eſt nauem, ſed nondum operatur: altero verò modo nobiſcum coniungitur, cum et contẽplandi, et agendi habitus conſecutus fuerit. Verùm hos habitus dum ille aſſequi, & in priſtinam reuerti perfectionem contendit, indiget phantaſmatibus (phantaſmata enim appellant Philoſophi rerum imagines & ſimulacra, quæ à ſenſibus imprimuntur in phantaſia) non quidem ut ab illis ſpecies recipiat, illaq; intelligat (abſurdum enim putant, ſi intellectus æternus à phantaſmate caduco perficiatur) verùm vt ab eis occaſionem ſumat contemplandi formas, quæ in ipſo reſident, vnaq; cum eo progreſſe ſunt. Atq; eiuſmodi quidem ratione intellectus, antequam perfectionem ſuam adeptus ſit, vtitur phantaſia: cum autem perfectus fuerit, nulla amplius ope phantaſiæ indiget, ſed eum ex ſe ipſo intelligentem phantaſia inſequitur, perinde ac orbis ſequitur intelligentiam, quæ illum ſub ratione finis mouet. Ad hæc aſſerunt iſti, intellectum noſtrum, quanquam eſt vnus tantùm ſecundum rem, tria tamen ſortiri nomina & rationes: tres enim in nomine reperiũtur intellectus, non quidem re, ſed tantùm ratione differentes.

tes. Primus dicitur poteſtate intellectus,& ille eſt, qui extra ſe progreſſus eſt, & à propria ſubſtantia procul abeſt,nec poteſt abſq; labore,& ſine occaſione phantaſmatum intelligere. Secundus eſt intellectus in habitu, vel intellectus ſecundum actum, ut vocat Ariſtoteles, qui velut ſciēs homo euaſit,& formas atq; rationes,quę in eo ſunt,quotieſcunque velit, ex ſe ipſo contemplandi vim habet. Tertium Agentem vocant, quē dicunt eſſe vim huius intelligentię præſtantiorem:quippe qui extra non labitur,ſed in ſe ipſo manet,& omnes in ſe rationes ac ideas retinet, quò ſumpta à phantaſmatibus occaſione eas reponere valeat in intellectum poteſtate. Quamobrē addunt iſti,cum hic intellectus agens non ſolùm intelligibiles formas illuminet,ſed eas etiam in poteſtate intellectum recondat;pręterea cum in illo impetu, qui extra fit, ſeiunctus quodam modo ſit ab eiuſmodi formis, ſimulq; iiſdem progredientibus colligatus,perbelle eum ſimul tanquam artem, & rurſus tanquam habitum,ac lumen facere Ariſtoteles tradidit. Siquidē ars ab eis quæ efficit ſeparatur,lumen verò ab ijs,quę illuſtrātur,& habitus ab ijs,quæ habitum poſsident, minime ſeiungi vidētur. Eiuſmodi verò intellectus agens eſt alterius intellectus, qui poteſtate dicitur, habitus & perfectio etenim, cum huic,veluti forma, copulatur,ex vtroq; fit intelligentia ſemper actu intelligens; tuncq; homo beatitudinem illam & felicitatem adeptus eſt, qua poſtrema & maxima frui poſsit. Tandem iſti eo moti fundamento,quo firmatum eſt, omne quod ortū habet,neceſſariò quoq; ad interitum venire, aiunt hos tres intellectus, de quibus ſupra locuti ſunt,in homine reſtingui. Humanus quidem intellectus ea ratione,qua intelligentia eſt,& ſecundum ſubſtantiam propriam, ac ſimpliciter (ut vtar eorum verbis)incorruptibilis & æternus eſt; ſecundū quid autem, & ea nomina,quæ iam illi ſunt attributa in ſingularibus hominibus deſtruitur: ſiquidem intellectus quatenus poſsibilis,quatenus in habitu,quatenus agens dicitur, interit, quoniam quatenus poſsibilis, quatenus in habitu,quatenus agens in nobis etiam gignitur. Hæc eſt Simplicij,& eius Sectatorum opinio, cuius capita facilius & clarius,quàm fieri

potuit,

potuit, recenſuimus, cum ſæpe ipſiuſmet Simplicij, & Sectatorum verbis vti nos oportuerit. Hanc etiam eandē propè eſſe cum Auerrois ſententia, inquiunt Simpliciani. Quod eis concedentes videamus modò (id enim maioris eſt momenti) an Ariſtoteleis dictis reſpondeat.

SIMPLICII OPINIO DESTRVITVR.
Cap. III.

QVoniam nobis controuerſia eſt cum maximis Ariſtotelis interpretibus, & Philoſophis; ideo Ariſtotelis loca, quæ huc pertinent, ſumma cū diligentia perpendere debemus, eaq; percurrētes, fortius quibuſdā aliis nos figere oportet pedem; ſi illud tamen iuuenci præſtare poſſunt, quod laſſi hucuſq; boues non fecerint. A primo igitur Simplicii & Sectatorum dicto exordiemur, ac deinceps propoſitum ordinem perſequentes cætera ponderabimus. Inquiunt iſti, humanā mentem vnam tantùm numero eſſe. Quod ſanè dictum penitus Ariſtotelis verbis aduerſatur, quæ in. xij. Primæ Philoſophiæ xlviiii. contextu leguntur. Inquit ibi Philoſophus. *Si plures ſint cœli, ut homines, principium id, quod cuiq; accommodatur, ſpecie quidem unum erit, numero autem plura.* Hunc locum Excellentiſſimus Patruus meus (cuius optimi quidem viri memoria & recordatio ſemper mihi valde iucunda erit) prior me adduxit, vt plures eſſe numero humanas mentes demonſtraret, dicens hic apertè Ariſtotelem confiteri, plures eſſe numero animos noſtros, ut ſunt homines. Verùm, cum Simpliciani per plures hominum formas cogitatiuas (quæ quidem vox in eorum eſt ore tritiſſima) & nō intellectus accipere poſſint interpretando (quamuis nulla ſit etiam hæc expoſitio) nos diligentius perſcrutari oportet verba Philoſophi: nam validiori quidem ratione eodem loco Simplicio occurri poteſt. Porrò eo contextu Ariſtoteles cælum mundumq; vnum tantùm numero eſſe, & non plures demonſtrare contendit, itaq; argumentatur à deſtructione conſequentis ad illius deſtructionē,

ſtructionem, quod antecedit. Si plures mundi ſint numero, ut homines, plures quoq; erunt numero, & eædem ſpecie primæ eos cientes cauſæ: atqui non ſunt plures numero primę cientes cauſæ, quoniam prima mundū cœlumq; mouens cauſa ab omni materia ſeparata eſt, igitur nec plures etiam numero cœli, ſiue mundi fuerint. Iam verò, ſi mens humana eſt vna tantùm numero, atq; ex ordine intelligentiarum, quæ humano aſſiſtat orbi, vana procul dubio eſt atq; inanis hæc Ariſtotelis demonſtratio. Siquidem, ut humana intelligentia pluribus numero hominibus aſſiſtit, in eiſq; varios ac diuerſos concitat motus ratione voluntatis, quid prohibebit, ne plures etiam numero cœli ac mundi reperiantur, & vna primaria tantū cauſa, quæ eos omnes verſet ac moderetur? quinimmo hoc facilius primaria exequi cauſa poterit, quippe quæ ab omni materia ac poteſtate ſeiuncta eſt. Addas, eadem ratione aliud prorſus ruere fundamētum, quo eodem .xii. libro firmatur ac ſtabilitur numerus mouentium numero eorum, quæ mouentur. Hîc & tertium ſubiungi argumentum poteſt, quod maximè, ni fallor, etiam Simplicium torſerit. Hic enim cum velit, intellectum noſtrum ea tantùm ratione intelligere, quoniam à phantaſmatibus excitatus in ſe ipſo reſidentes ideas earum rerum, quas percipit, contemplatur, ſi vnus tantùm numero in ſingulis hominibus fuerit, hoc neceſſariò conſequetur, ut plures ac diuerſi homines incumbentes eiuſdem rei intellectioni, nunquam inter ſe diſcrepare, ſed eiuſdem ſententiæ ſemper eſſe debuerint. idem enim eſt numero intellectus in ſingulis, eædem numero ideæ, quas ſolùm intelligit: neq; phantaſmata, cum ab eis ſpecies intellectus non recipiat, impedire poſſunt, quin eiuſdem rei eadem prorſus gignantur in omnibus ſcientia & intellectio. Illud igitur valde mirari oportet, quòd tot Clariſſimi viri non modò in philoſophia, ſed in cæteris etiam artibus, ac diſciplinis tot varias de iiſdem rebus, ac penitus inter ſe diſcrepantes ſententias habuerint. Quare Simplicius iſtius nobis cauſam varietatis explicare debet. Sed illud modò conſideremus, an rectè animus noſter ad numerum intelligentiarum aſcriptus fuerit. Profectò

eiuſmodi

eiuſmodi dictum præcipuè labefactatur eo argumento, quod iam vulgatum ſæpe, ac ſæpius adductum eſt. Quî fieri poteſt, vt audeant Simpliciani, humanam mentem in numero intelligentiarum reponere, ſi in xii. Poſtnaturalis Philoſophiæ commentario neq; de hac, neq; de humano iſtius orbe vllam Philoſophus omnino mentionem fecit? Nulla me hercle ratio inueniri poteſt, qua eam loco adducto prætermiſerit Ariſtoteles: propterea quòd ibi, ut determinet numerum intelligentiarum, perſcrutatur, quot ſint numero motiones & corpora, quæ cientur. Quò autem motionum, & corporũ numerum reperiat, ad Aſtrologos ſui temporis, nempe Eudoxum, & Calippum recurrit. Et poſtquam ſphærarum numerum ex ſententia Eudoxi cõmemorauit, acceptauitq; Calippi additamentum, qui xxvi. ſphæris Eudoxi alias ſeptem addiderat, ipſe alias xxii. perſcrutatur & addiicit, quas reuoluentes, ſeu reſtituentes orbes appellauit. Itaq; cœleſtium orbiũ in ſumma numerum concludens eos quinque & quinquaginta eſſe determinat: inquit enim. *Omnes igitur ſpheræ, & deferentes, & deuoluentes quinque erunt & quinquaginta.* et Paulò poſt. *Multitudo igitur ſphærarum ſit tanta. quare & ſubſtantias ipſas, et principia immobilia, atq; etiam ſenſibilia tot eſſe exiſtimare, conſentaneum eſt rationi.* Viderint igitur Simpliciani, ſi humanus orbis prætereundus erat Ariſtoteli, qui omnes cuiuſcunque orbis ſphæras exactè & accuratiſsimè conſiderauit, & alias xxii. addidit illis, quas antea Eudoxus, & Calippus ſtatuerant. Futilis enim eſt ea reſponſio, qua inficiantur iſti, locum primæ Philoſophiæ adductum humani orbis, ac eius intelligentiæ tractationi peculiarem eſſe, cum eiuſmodi negotium ad librum Animæ referatur. Siquidem ex Philoſophi ſententia primo de partibus Animalium, & ij. Phyſicorum commentario ad Naturalem tantùm pertinet agere de ea anima, quæ eſt natura, atq; de illis formis, quæ ſunt in materiam immerſæ. Scio, quibus verbis opinioſiſsimi quidem homines Simpliciani eiuſmodi rationẽ effugiant: dicunt enim ſcientiam de Anima inter Naturalem ac Diuinam medium obtinere locum, atq; in hac de hominis forma, quæ ei dat eſſe, vſq; ad quæſtionem quid eſt pertractari

tractari: de intellectu verò, quo ad Si eſt fuerit quæſtio decla rata. Neq; enim ignorant, quiditates (vti aliquando neceſſe eſt, ut ſupra notauimus, tritis, & vulgatis verbis Philoſophorum) quæ à materia ſeparatę ſunt, ad ſolum Metaphyſicum p tinere. Cæterum ij dicentes talia maioribus laqueis inuoluũ tur. Nam Ariſtoteles vi. Primæ libro Philoſophię de hac me dia ſcientia non meminit: quippe qui tres ſolùm cõſtituit ſciẽ tias, quæ contemplantur, Naturalem nimirum, Mathematicam, & Diuinam; ac pariter ſanxit tria eſſe tantùm genera definiendi, ea motus ratione, quòd in rebus, quæ ſciuntur, triplex inuenimus eſſe diſcrimen: quędam enim adeò materia ſunt implicata, vt ſine ea definiri nequeant: quædã verò quanquam in materia verſantur; nihilominus abſq; ea conſiderari poſſunt: tertium genus eorum eſt, quæ ut à materia ſeiuncta ſunt, ita etiam abſq; illa definiuntur. Nec me fugit, Simplicium per mediam ſcientiam non intelligere mathematicam: quippe quòd Animæ ſcientia de ſubſtantia tractat, quæ aliàs vni aſtrologiæ inter Mathematicas relicta fuit. Verùm, ut me dia hęc ſcientia penitus deleatur, affero iterum Ariſtotelem, qui librum de Anima inter commentarios de Partibus, ac de inceſſu Animalium, libellumq; de ſenſu & ijs, quæ ſentiuntur, collocauit; nec non oſtendit in libro de Partibus, Natura lis Philoſophi magis intereſſe de Anima, quàm de materia animalium diſputare. Atq; eiuſmodi dictum nihil offenditur ea dubitatione, quam paulò poſt de intellectu mouet Philoſophus: immo qui hãc mediam ſcientiam tuentur, aſſeruntq;, intellectum noſtrum eſſe intelligentiam, nullo modo rationẽ ibi motam à Philoſopho diluere poſſunt. Ibi dubitat Ariſtoteles, an de omni anima ad Naturalem pertineat diſputare, ſta tuitq;, non eſſe iſtius munus agere de intellectu: quoniam de ea tantùm anima, quæ eſt natura, tractare debet. Si autem ageret de intellectu, de omni porrò intelligibili tractaret, & ita nulla præter Naturalem ſcientiam relinqueretur philoſophia, hoc eſt, prima ſuperflueret Philoſophia. Eadem igitur ratione aduerſus Simplicianos ſic argumẽtor. Si humanus intellectus eſſet intelligentia, de eo agens Naturalis de intel-

lectu

lectu ſeparato ageret, igitur ſuperuacua erit Poſtnaturaralis ſcientia: quippe quòd Naturalis de omni intelligibili, nimirum de eo, quod eſt materia implicatum, & de eo, quod eſt ſeparatum, tractauerit. Idem profectò ſequetur abſurdum, ſi Animæ ſcientia inter naturalē, Diuinamq; media conſtituatur: immo tunc etiam ſuperflueret naturalis Philoſophia. Neq; hoc poſſunt abſurdū fugere Simpliciani: quippe volunt in libris de Anima agi de intellectu, qui eſt à materia abſtractus, neq; eſt natura: quem nihilominus intellectum Philoſophus loco adducto in libris de Anima doceri negauit. ibi enim Ariſtoteles de Humano tantùm intellectu non ambigit: verùm ſub nomine animæ, & intellectus quancunq; accipiens animam, & intellectum dubitat ratione mētis ſeparatæ, an ſcilicet de hac per ſe, quatenus nullam omnino rem naturalem ſpectat, ad Phyſicum diſputare pertineat. Quod apertiſsimè oſtendit eis verbis, quibus alendi, ſentiendi, mouendiq; virtute cunctis animalibus conceſſa, vim deinde intelligendi aſſerit in nullis omnino reperiri, ſubiungitq; nullā rem à materia abſtractam à Naturali ſciētia poſſe cōſiderari. Non latebat autē Philoſophum, quodā intellectu prędītū eſſe hominem, de eoq; in libris de Anima diſputari. Atqui Simplicij aiunt cōſectatores, de humano intellectu in libris de Anima tātùm agi, quo ad quæſtio ſi eſt fuerit explicata. Res mira hęc eſt. Humani intellectus natura et quiditas in cōmentariis de Anima nō docetur, nec etiam de ea agitur in xii. Primæ libro Philoſophiæ, igitur, quid ſit intellectus noſter, qui eſt præſtantiſsima huius inferioris mundi forma, nullibi tradidit Ariſtoteles. Sed perpendant ij, obſecro eos, diligenter, cum valde acuti, nec vllo modo inſulſi homines videri velint. iiii. &. v. tertii de Anima libri contextum: viderint quippe, ſi tantùm quæſtio ſi eſt ipſius intellectus declaretur. Porrò iis duabus particulis ſubſtantiam, & naturam intellectus noſtri ita apertè planeq; explicat Ariſtoteles, ut nihil amplius deſiderari poſsit. Iterum legant. xviiii. xx. q; eiuſdem libri contex. & ſanè cognouerint, ea, quæ ibi intellectui Agenti tribuuntur, non ad quæſtionem ſi eſt perti-

nere (hæc enim x v i i. ac x v i i i. contex. fuerat abſoluta) ſed præcipuè naturam & ſubſtantiam intellectus Agentis explicare. Et quamuis nos eiuſmodi Agentem intellectnm vnà cum Alexandro Aphrodiſienſi, homine in hac philoſophia probatiſsimo ac nobili, Deum Opt. Mrx. eſſe exiſtimemus: attamen infra declarabimus, qua ratione de intellectu ſeparato uſq; ad quæſtionem quid eſt in libro de anima egerit Ariſtoteles, nec tamen ſententiæ paulò ante adductæ libri de Partibus repugnauerit. Nunc rurſus, vt animum noſtrum à numero intelligentiarum remoueam, in mediū affero eum locum. v i i j. Phyſicorum, vbi concedit Philoſophus, cœleſtia corpora mouentes cauſas per accidens ab alio moueri poſſe, non autem per accidens à ſe ipſis: quoniam hoc ſolùm formis euenit, quæ intereunt. quod tamen humanę etiam intelligentiæ continget (tametſi hæc ratione ſubiecti non conſtabit) quoniam motis nobis omnia pariter, quę in nobis ſunt, mouentur, vt in primo de Anima commentario ſcriptum eſt apertiſsimè. Addo hanc vltimam rationem, quæ ſemper à vero Peripatetico valde conſtans ac firmiſsima iudicabitur. Si mens humana eſſet intelligentia, aliquo tempore eodem intelligeret modo, quo cęterę faciunt intelligentię: ſed hoc nunquam exequitur; perperam ergo ad numerum aſcribitur intelligentiarum. Siquidem intelligentiæ ſubitò ſtatimq; ſemper intelligunt, cum ſeparatæ mentes tempori minime ſubijciantur: intellectus verò noſter ſemper indiget tempore, dum intelligit, ut nos aliàs clariſsimis ſententijs Philoſophi demōſtrauimus ea noſtra diſputatione, quam paucis ante diebus edidimus aduerſus Quæſtiones Academicas Ciceronis. De qua etiam re à nobis infra differendum erit, quoniam hic locus magis eſt eiuſmodi proprius contemplationis. Iam tertium Simplicii dictum à nobis perpendendū videtur, quo inficiatur humanum intellectum hominj prębere eſſe, & alterum ſtatuit genus animę, à quo informatur homo; quæ ſanè anima ab eo cogitatiua vocatur. Quam etiā fatuus hac in parte ille Arabs Doctiſsimus aſſeruit, diſtinguere. *Intentionem indiuidualem (propriis utor illius uerbis) à forma imaginatiua,*

ginatiua, & expoliare eam ab eis, quæ ſunt adiuncta cum ea ex iſtis ſenſibilibus communibus & proprijs, & reponere ea in memoratiua, iſtiuſq; comprehenſionem eſſe magis ſpiritualem, quàm imaginatiuæ. Figmenta profectò omnia & meræ nugæ. Nullibi enim Philoſophus de eiuſmodi egit cogitatiua: ſed ne vllam quidem de ea mẽtionem fecit in ſuis de Anima commentariis. Quàm verò? Dij boni negligentię nomine accuſandus eſſet longè omnibus pręſtans & ingenio, & diligentia Ariſtoteles ſi de internis externiſq, ſenſibus vniuerſe & particulatim diſſeruiſſet: hanc verò ſilentio pręteriiſſet animæ facultatem, quę virtutibus ſentiendi valde pręſtat, & eſt propria hominis forma? Quòd verò Ariſtoteles hanc nunquam in animo cogitatiuã habuerit, eo pręſertim loco .iii. de Anima patere poteſt, vbi Philoſophus à C L. vſq; ad CLX. contextum diſcrimen ſtatuit inter omnes animę facultates, quibus verum & falſum comprehendimus. Porrò ibi Ariſtoteles primùm ſegregat intellectum à ſenſu: deinde phantaſiam ab intellectu: tertio autem loco oſtendit, qua ratione diuerſa ſit phantaſia à ſenſu, ac reliquis animę viribus, quibus verum pronunciamus, aut falſum, nempe à ſcientia intellectu, & opinione, nec non ab opinione cum ſenſu coniuncta. Ibi nulla prorſus habetur mentio de cogitatiua; quod tamen Philoſopho, neceſſum erat efficere. Atq; διάνοια, ὑπόληψις, δόξα, quibus vocibus in ea parte ſępe vtitur Ariſtoteles, mentis ac intellectus noſtri vires dicuntur, neq; ad inferiorem animam referri poſſunt. Eo quidem in loco, nempe C L V. particula, διὰ τὸ νοεῖν Ariſtoteles ſemel (quod affirmare poſſim) phantaſiam intelligit: quòd veteres Philoſophi Mentis voce phantaſiam quoq; ſignificarent. Verùm διὰ τῆς ὑπολήψιος quemcunq, intelligendi actum comprehendit Philoſophus; nec ea vllu modo imaginationem, aut aliam vim mente inferiorem vult nobis ſignificare. Atqui rueri ſe etiam nequeunt Simpliciani dicentes, ibi cogitatiuam ſub phantaſię nomine, cum huic valde ſimilis ſit, ab Ariſtotele fuiſſe comprehenſam: quoniam, ſi hoc eſſet, eò magis deinde aſtrictus fuiſſet Philoſophus ad oſtendendam inter vtranq; differẽtiam;

cum phantaſiam à quacunq; alia cognoſcente virtute diſiun gat: propterea quòd loco adducto Airſtoteles earum animę potentiarum, quę ſimiliores inter ſe eſſe videntur, diligentius varietatem ac diſcrimen inquirit. Equidem neſcio, qua ratione vir alioqui accerrimo ingenio Simplicius eiuſmodi cogitatiuā finxerit, cum in iam citatę partis initio C L. contextum cum ſuperioribus connectēs dicat, Ariſtotelem, cum poſt ſenſuum diſputationem ad aliam animę vim iudicandi poteſtatem habentem tranſire vellet, recto ordine ad imaginationem, quæ ſenſui proxima eſt, acceſsiſſe. Sed, poſt quam Philoſophus de phātaſia egit, ſtatim ad intellectus noſtri tractationem aggreditur. O rectum, præclarumq; ordinem, & dignum tanto Philoſopho. Debebat ne à phantaſiæ doctrina quamprimum ad intellectus diſputationem traſcendere, ſi cogitatiua inter phantaſiam & intellectum medium occupauerat locum? Eiuſmodi mehercle figmentum, licet Doctiſsimorum virorum fuerit, adeò notum eſt, ut ſuperuacaneum ſit iſtud deſtruere. Quartum ſuccedit Simplicii dictum, quo ille aſſerit humanum intellectum ideas & rationes omnium rerum in ſe ipſo poſsidere (quod omnium ſanè intelligentiarum vult eſſe proprium) quas ideas & rationes ei opus eſt contemplari, ſi intelligere velit. Latiſsimus hîc mihi ſeſe campus offert reprehendendi Simplicium. Hic enim Platoni aliquādo ita addictus fuit, vt in Peripatetica diſciplina valde peccauerit. Porrò Ariſtoteles tot locis eiuſmo di labefactauit ideas, penituſq; deſtruxit, ac eas toties tum ratione ortus rerum, tum ſcientiæ cauſa vanas atq; inutiles eſſe demonſtrauit; vt, ſi iſtud idem in præſentia vellem oſtendere, ea mihi fruſtra, & ſine laude repetenda eſſent, quæ iam trita & vulgata ſunt in ſcholis Peripateticorum. Ego tamen duo tantum addiderim loca, quibus Simplicius ab Ariſtotelea veritate penitus deſciuiſſe, videbitur. Scribit Ariſtoteles in. x i i. Primæ Philoſophiæ commentario, in ijs, quæ materiam non habent, idem eſſe intellectum, rem, quæ intelligitur, ac ipſam intellectionem, probatq; Deum Op. Max. ſolùm ſe ipſum intelligere: quoniam, ſi quid aliud præter ſe

ipſum

ipſum intelligeret ab eiuſmodi re intellecta ſumeret perfe-
ctionem, nec eſſet omniũ rerum, quæ ſunt, præſtantiſsimus,
neq; in ſupremo, & altiſsimo vnitatis, ſimplicitatis, nobilita
tis gradu collocatus. Conſideret ergo ſimplicius, an hæc
permanere poſsint, ſi in Beatis Mentibus, ac Deo Opt. Max.
rationes, rerumq; ideæ reponantur. Non me latet, Clariſsi-
mos viros exiſtimaſſe, Ariſtotelem in idearum poſitione à
Platone præceptore ſuo non diſcrepaſſe: ego verò iſtud au-
derem nunquam confiteri. Etenim cur Ariſtoteles in prio-
ri Poſteriorũ libro eas τερετίσματα appellat? Cur eas toties in
Naturali, & Diuina Philoſophia ita aſperè inſectatur, ac de-
ſtruit? Cur in primo Ethicorum libro affirmat, ſe verita-
tis amore coactum eſſe, Præceptoris ſententiam de Ideis refel
lere? Minime decet virum ſummum in maximarum rerum
ſcientia, qualis fuit Ariſtoteles, aliud ore proferre, aliud au-
tem corde ſentire. Quòd ſi etiam nunc id ei tribuere volue-
ris, igitur Ariſtoteles ea debuerit argumenta diluere, quæ
contra Platonem adduxit: nam eandem vim habent aduer-
ſus ipſum, illumq; eadem ratione torquent. Profectò
Ariſtoteles, quanquam omnes formas actu, & eminenti ex-
cellentiq; quodam modo in Deo Opt. Max. contineri aſſe-
uerauit: attamen noluit has eſſe ideas ſeparataſq; rerum ratio
nes: quippe qui nullam in ſummo Deo neq; ſecundum rẽ,
neq; ſecundum rationem multitudinem ponendam eſſe cen
ſuit: ſed eum ſtatuit naturam vnam tantùm ac formam eſſe
omnium eorum, quæ ſunt, ſimpliciſsimam, nobiliſsimam,
peſectiſsimam, in qua omnes aliæ quinetiam formæ ſplen-
deſcere dicuntur: quoniã Deus eſt actu omnia ea, quæ ſunt,
ſed longè nobiliori ac perfectiori quidem modo, quàm iſta
extra eum reperiantur, perinde ac dicimus aurum & con-
tinere, & eſſe omnia cætera metalla, quæ extra ipſum iuue-
niuntur. Hinc euenit, vt Princeps ille omnium Deus ſe ip-
ſum tantùm intelligendo omnia quoq; alia intelligat, pro-
ducat, conſeruet, & admirabili ordine, ſummaq; iuſtitia
adminiſtret ac moderetur. Cæterùm, ut de humano loquar
intellectu, in quo tota præſertim controuerſia verſatur, vi-

deo

deo vbiq; Philoſophum aſſeuerare, huic ſemper, dum intel ligit, opus eſſe Phantaſmata ſpeculari. Sed, quoniam infra diligentius à nobis eiuſmodi ſunt loca examinanda, idcirco hæc nunc ſilentio prætereuntes explicabimus illa, quę ſcribit Ariſtoteles in fine ſecundi libri Poſteriorum: et hic alter eſt locus, quo maximè Simplicii ideis obſtiterimus. Volens igitur in fine ſecundi libri Poſteriorum docere Philoſophus, quo modo in principiorum notionem deueniamus, quaſdā prius de eis dubitationes mouet; ac ambigit inter alia, an habitus cognitionis principiorum, cum non inſint prius in nobis, poſterius gignantur, an inſint quidem, lateant autem, cum inſint. Huic proximo diuiſionis membro reſpondens inquit, turpe, ac valde abſurdum fore, ſi principiorum notitiam, quæ eſt exactior & perfectior notione demonſtrationis, in nobis ipſis poſſideamus, & ea nos lateat. Quare paulò poſt docet, quemadmodum intellectus noſter quandam ſolum poteſtatem habet ad eiuſmodi habitus cōſequendos, utq; medio ſenſu in principiorum notionem progreditur. Si quidem ex ſenſu fit memoria; ex memoria autem ſæpe de eadem re facta oritur experimentum, ex procedēte autem experimento, & ſæpe ac ſæpius confirmato vniuerſale conflatur, quod eſt deinde principium ſcientiæ Quod quidem vniuerſale declarans Ariſtoteles ait illud eſſe, quod eſt ſimile, & idē in omnibus eis, quæ ſenſu percepta ſunt, vniuerſale inquam in multis appellatum, non autem vniuerſale, quod ante multa vocatur. Quæ profectò omnia ut ſint omnino contraria Simplicii dictis, iuniori etiam philoſophanti manifeſtum erit. Simplicius enim iis ſuis rationibus & ideis in nobis, quā primum orti ſumus, collocat habitus principiorum; quos tamen in nobis tunc eſſe Philoſophus inficiatur. Præterea nouam ſcientiarum adeptionem funditus euertit, & Platonis reminiſcentiam, velit, nolit Ariſtoteles, in animos noſtros introducit. Et quamuis hic dicant Simpliciani, intellectum ratione quidem ſui, cum ad humana labitur corpora, reminiſci; ſingulares verò homines ex pura ignorantia in nouam rerum progredi cognitionem: attamen eiuſmodi reſponſio-

ne

ne non tollunt abſurda, quæ paulò ante à Philoſopho adducta ſunt. Adhuc enim id conſequetur, ut principiorum, & demonſtrationum in nobis ipſis notitiam poſsideamus prius, quàm hanc conſequi videamur; & nihilominus tàm excellens atq; diuinum bonum ignoremus. Addit quinto loco Simplicius, humanam mentem, cum intelligentiarum ſit infima, & maximè ignobilis, extra ſe progredi, vergereq; ad humana corpora, & ſecum etiam ducere rationes ac ideas illas, de quibus ſupra locuti ſumus. Hoc hercule commentum cæteris omnibus Simplicij chimęris longè pręſtat, uixq; poetæ concedi poſſet; nec iſta ſubtilitas vllo modo philoſophia digna cenſenda eſt. Simplicius enim qui humanam mẽtem extollere, eamq; in ampliſsimo cœleſtium formarum gradu collocare ſtuduit, à ſuo tàm procul abeſt propoſito, dum talia fingit, ut eam potius quacunq; naturali forma deteriorem efficiat: quippe qui eam prorſus deducat ad accidentium naturam ignobiliſsimam. Quid enim ſibi vult humanum intellectum extra ſe progredi, labiq; ad humana corpora, niſi eum in pauciores gradus redigi, & ſecundum propriam remitti ſubſtantiam, quod ſanè caloris, frigiditatis, albedinis, nigredinis, & aliarum qualitatum eſt propriũ? Nunquam verò dicet Simplicius, humanum intellectum, dum extra ſe progreditur, ſecundum ſubſtantiam non diuidi; ſed quædam ſolùm deperdere accidentia, & ſecundum ea refringi: ſiquidem formis à materia ſeparatis nihil poteſt accidere, cum æterni ſint, ac ſimplices actus, in quibus ſumma vnitas reperitur. Quamobrem Paulò infra Simplicius in aliud tàm magnum decidit abſurdum, ut nihil quidẽ in philoſophia abſurdius dici, aut excogitari poſsit. Hic enim aſſerit humanam intelligentiam in hoc impetu non totam à ſubſtantia propria, ſed alteram tantùm illius partem recedere: propterea quòd intellectus Agens in ſe ipſo manet, & ſolùm Potentia qui dicitur intellectus progreditur. Ex quo neceſſariò euenit, vt ſubſtãtia æterna, & incorporea diuidatur, & illud quod eſt actus, non ſit actus: ſiquidem actus eſt indiuiduus terminus, qui vel totus (ſi eiuſmodi lapſum huic tribueris)

bueris) extra procredi, vel totus in ſe manere debet. Neq; Simplicius tueri ſe ipſum poteſt, quod in humano intellectu, cum intelligentiarum ſit infimus, iſtud debeat tolerari. Siquidem Ariſtoteles, omnesq; huius interpretes communi propè conſenſu ſemel, bis, atq; iterum affirmarunt, omnes formas, quæ in ſubſtantiæ genere reponuntur (eas excipio, quæ quatuor ſunt propriæ elementorum, & naturam mediã inter ſubſtantiam, & accidens obtinuiſſe videntur) terminos eſſe, ac numerorum conſimiles, quæ nullo modo diuidi, ſeu intendi, aut remitti poſsint. Verum Simplicius, eiusq; Sectatores commenta perſequentes ſua aiunt, intellectum noſtrũ iam ad humana corpora progreſſum, cum velit in priſtinam reuerti nobilitatem, ſumere à phantaſmatibus occaſionem, ut in rationes eas & ſpecies in eo exiſtẽtes cõuertatur. Neſcio ego videre, quæ ſit eiuſmodi occaſio: quoniã phantaſmata eo tẽpore vel intellectum mouent, vel non mouent. Si moueãt, igitur intellectus ſumet perfectionem à Phantaſmatibus, æter nũq; à caduco paſsione afficietur; quorũ neutrum nullo mo do cõcedere volunt Simpliciani. Sin autem à phãtaſmatibus aliqua ratione intellectus nõ moueatur, quæ eſt iſta occaſio, quã intellectui præbẽt phantaſmata? Equidẽ nullam video; eam quæſo mihi oſtendant Simpliciani. Dicunt præterea, intellectum noſtrum, cum perfectionem amiſſam recuperauerit, amplius phantaſiæ auxilio non indigere; ſed phantaſiam eum tunc intelligentem ſectari: affirmant enim intellectum noſtrum nunquam ſine phantaſia vel præueniente, vel comitante intelligere; & eiuſmodi diſtinctione. x i i. primi de Anima contextum interpretantur. Immo Auerroes, qui eiusdem eſt hęreſis, hunc locum exponens inquit, haud fieri poſſe, ut intelligat aliquid ſine imaginatione. Profectò mihi videntur iſti ſuo ſe gladio iugulare. Etenim ſi intellectus nunquam ſine phantaſia intelligit, igitur à corpore ſeparari nequaquam poteſt. Hoc eo in loco eſt Ariſtotelis dictum, qui ait. *Si autem intelligeret eſt phantaſia quædam, aut non ſine phantaſia, neq; contingeret utiq; hoc ſine corpore eſſe.* Eiuſmodi quidem conſequens adeò planum eſt, vt nullo modo vitari poſsit: ſiue

enim

enim phantaſia intelligenti præcat intellectui, ſiue hunc ſectetur: ſiue intellectus illa egeat, dummodo nunquam ſine illa intelligat, haud fieri poteſt, inquit Philoſophus, ut à corpore ſeparetur, quemadmodum reliquæ animæ nequeunt diſiungi virtutes. Et quanquam hîc aliqui ſe hoc laqueo putant abſoluere dicentes, Ariſtotelem cum conditione fuiſſe locutum, & præter id vſum eſſe verbo, *neq; contingeret*, quod idem poſſe, & non poſſe intellectum ſeparari ſignificat: ij tamen fruſtra laborant, ac nihil meo quidem iudicio faciunt. Siquidem Ariſtoteles, ut prius iſtorum dictum refellam, magis infra abſq; vlla conditione planè aperuit ſententiam ſuã. Quamobrem in CLIII tertii de Anima contextu apertiſſimè aſſeruit intellectum abſq; phantaſia operari non poſſe dicens. *Phantaſia enim aliud eſt & à ſenſu, & ab intellectu, & ſine hac non eſt exiſtimatio.* Quod ſanè idem xxx. ac xxxii & xxxix. contex. Eiuſdem iii. ſignificauit, cum dixit, neceſſarium eſſe intellectui noſtro, cum intelligit, rei ſemper intellectæ phantaſma ſpeculari. Et nunquam in libris de Anima reperies Philoſophum, aliquo intellectui noſtro proprium & peculiare opus aſsignaſſe: ſed eum ſemper in quocunq; tempore puram ſimplicemq; poteſtatis naturã conſeruare, vbiq; teſtatur. Vnde ſi aliter prædicant Simpliciani, ea comminiſcuntur, quæ nunquam ſomniauit Philoſophus. Iam verò alterum adductæ reſponſionis caput reiicio. Valde miror, quòd iſti dicant, eo verbo, *neq; contingeret*, poſsibile, & non poſsibile ſignificari, cum ſcripſerit Ariſtoteles iiii. Sectione libri περὶ Ἑρμηνείας, quotieſcunq; in eis propoſitionibus, quæ cum modo proferuntur, negatiuam particulam ipſi modo adiungimus, nos affirmationi negationem oppoſitam, vereq; contradicentem efficere, quę idem, quod affirmatio, nunquam ſignificare poteſt. Quamobrem, ſi eiuſmodi propoſitione, Contingit intellectum non ſeparari, eum poſſe, & non poſſe ſeparari ſignificauerim; hac tamen altera, Non contingit intellectum ſeparari, eum nunquam ſeparari poſſe intellexero: quoniam aliter verę de eodem fierent affirmationes, ac negationes oppoſitę, cum eiuſmodi propoſitionẽ,

Contingit ſeparari, hæc altera, Non contingit ſeparari, vt verè contradicens & oppoſita negatio reſpiciat. Eiuſmodi enim propoſitiones, vt loco citato docet Philoſophus, mutuò ſe conſequuntur, Non poſsibile eſſe, Non contingens eſſe, Impoſsibile eſſe, Neceſſe non eſſe. Qui igitur Ariſtotelis rationem in xii. primi de Anima contextu neceſſariam eſſe negant, aut præcepta logices parui faciunt, aut negandi particulam è proprio loco tollunt: quam prorſus vult Ariſtoteles cum verbo, Contingit, iungendam eſſe, cũ in ſequenti contextu planè affirmet, intellectum noſtrum nunquam à corpore ſeparari poſſe, ſi phantaſiæ ope ſemper indiguerit. hæc autem illius ſunt verba. *Si vero nullum eſt proprium ipſius, non utiq; eſſet ſeparabilis.* Quæ ſuperiora optimè conſequuntur, videlicet, non contingeret ſeparari, impoſsibile eſſet ſeparari, & neceſſe eſſet non ſeparari. Sed fortaſſe in ijs Logicorũ pręceptis diutius morati ſumus, quàm par erat. Idcirco ad aliud Simplicii dictum veniendum eſt, quo apertius quidem videbimus, vt ille coactus ſit Ariſtotelis verba extorquere, ac durius, quàm eruditum virum deceat, interpretari. Hic igitur inquit intellectum Potentia, & Agentem ſecundum ſubſtantiam eandem prorſus rem eſſe; ſola verò ratione inter ſe diſcrepare. Porrò Ariſtoteles in iii. libro de Anima de duplici intellectu mentionẽ facit, & alterũ νοῦν δυνάμει, & δυνατὸν, atq; παθητικὸν appellat, quem iccirco etiã nos intellectum potentia, ſiue Poſsibilem, ſeu Patibilem vocãdum ſemper duximus: alter verò ποιητικὸς νοῦς, & ἐνέργεια ab eo nũcupatur, qui intellectus faciens, ſiue intellectus actus propriè à nobis diceretur; ſed hunc paſsim & cõmuniter Philoſophi interpretes intellectum Agentem vocant. Iam verò, vt ad Simplicium redeam, qui fieri poteſt, ut Agens ab intellectu Potentia ſola ratione differat, ſi Agens eſt puriſsimus actus, ſubſtantiam inquam, quæ eſt actus, nulla humanæ animæ pars, vel particula ſemper ſe ipſum intelligens, ac ab omni materiæ concretione ſeiunctus, & immortalis? Alter verò contra, qui poſsibilis dicitur, hanc ſolam naturam habeat, ut ſit pura potentia, & animę noſtræ particula, neq; ſeipſum

ſe ipſum intelligat, niſi per accidens, dum ſcilicet alia percipit, nec ſubiecto à ſenſu, & alendi virtute ſeparetur? Profectò qui aiunt, intellectum Potentia, & Agentem vnam & eandem eſſe ſubſtantiam, ſimiles ſunt eis Philoſophis, qui Deum, & materiam eandem eſſe ſubſtantiam aſſeruerunt: ii enim pariter materiam & efficientem cauſam ratione eiuſdem effectus eandem rem ſtatuunt. Quód ſemper, tanquam illud, quod fieri nequit, deteſtatus eſt Ariſtoteles, ac cæteri Peripatetici omnes: quippe qui ex hoc nouerint, illud euenire, ut poſſent ſimul de eadem re duæ veræ eſſe propoſitiones inter ſe omnino contrariæ. Quibus autem rationibus Ariſtoteles intellectum Agentem cum habitu, quale lumen eſt, comparauerit, infra oſtendemus propius, ni fallimur accedentes ad illius opinionem, quàm Simplicius effecerit. Et pariter declarabimus, quæ ſit poſtrema hominis felicitas ac beatitudo conſtituenda illi, qui ſecundùm Ariſtotelis decreta philoſophatur. Somniant quippe iſti, non docent humanam felicitatem, cum inquiunt, eam nos adipiſci, cum intellectus Agens, tanquam forma, intellectui Potentia coniungitur. Nempe illudunt nos ii homines alioqui grauiſsimi, cum illud ſummum bonum proponant nobis, quod neq; ipſi, nec quiſquam alius vnquam adeptus eſt. Caueant autem, ne eos eademmet ratione repræhendere valeamus, qua ideam boni à Platone introductam Ariſtoteles in primo Ethicorum libro reiecit. Nam oſtendant nobis ij viri Doctiſsimi illud ſummum bonum, quod mens humana conſequi valeat. Hæc ſanè beatitudo, qua fruitur intellectus noſter, cum Agens, quatenus forma, ei coniunctus eſt, prætermitti à nobis debet, ut pote illa, quæ Ariſtoteli ignota fuit, atq; ab homine hac in vita naturali tantùm ingenio, & humanis viribus acquiri nequaquā poteſt. Quod Beatus Thomas in 88. Quæſtione primæ patris Summæ doctius quidē, vberiusq, demonſtrauit. Quamobrem eum hac in re ſemper valde commendauerim: quòd iuſtis & optimis de cauſis, vt verum Peripateticum, ſummumq; decebat Theologum, Auerroem, ac cæteros huius hæreſis accuſauerit. Illud

tandem aggredior, quod vltimo loco aſſerunt Simpliciani: inquiunt enim humanum intellectum ſecundum naturam, & ſubſtantiam propriam æternum eſſe ac immortalem: ea verò ratione gigni ac interire, qua Agens, Potentia, & in habitu, ſiue ſecundum actum intellectus appellatur. Porrò hæc omnia dicta arbitror Ariſtoteleę ſententię penitus repugnare, eo nimirum modo, quo à Simplicianis intelliguntur. Atq; vt hęc prius omnia vniuerſali, & optima ratione tollā, quàm particulatim coſiderem, quo modo iſti affirmare audent, humanum intellectū ſecundum ſubſtantiam propriā, atq; Simpliciter eſſe immortalem, per accidens verò deſtrui, & interire ea ſcilicet ratione, qua Agens, Poſsibilis, & in habitu, ſiue ſecundū actum intellectus nominatur, ſi in fine x. libri Diuinę Philoſophię habeamus apertiſsimè nobis ſignificantē Ariſtotelem nihil omnino dici poſſe, corruptibile eſſe, vel incorruptibile per accidens, cum eiuſmodi contraria neceſſariò inſint, quibus inſunt. Quare, ſi quid corruptibile ſecundū accidens diceretur, cum illud, quod ſecundū accidēs dicitur, vt non inſit aliquando, contingat, idē ſequeretur, ut aliquādo corruptibile, aliquādo eſſet incorruptibile; quod profectò ſecundū naturam fieri nequaquam poteſt. in citato autem loco propria hęc ſunt verba Philoſophi. *verùm enim contrariorum alia quibuſdam per accidens competunt, qualia ſunt & ea, quæ nuper diximus, & alia ſanè complura: alia impoſsibile eſt illo competere modò, quorum de numero corruptibile eſt ipſum, atq; incorruptibile.* Non *eſt enim corruptibile quicquam per accidens: etenim ipſum quidem accidens poteſt non eſſe: corruptibile autem de numero eſt eorum, quæ hiſce, quibus competunt neceſſariò inſunt: vel idem & unum corruptibile, atq; incurruptibile erit, ſi fieri poteſt, ut ipſi corruptibile non inſit.* I*pſum ergo corruptibile aut ſubſtantiam eſſe cuiq; corruptibilium, aut in ſubſtantia eſſe neceſſe eſt.* E*adem eſt profectò de incorruptibili ratio: ambo enim ex hiſce ſunt omnino, quæ neceſſario competunt.* Iam verò ſingulatim hæc dicta perpendamus, primumq; de intellectu Potentia loquamur. Cum inquiunt, hunc interire, Aduerſarii (hinc enim de eiuſdem etiam ortu fieri iudicium pote-

rit)

rit)vel iſtud,dum viuit adhuc homo ,vt Socrates & Plato vel cum moritur, intelligunt euenire. Si dum viuit homo,mendacium dicunt: propterea quòd intellectus noſter quatenus Poſsibilis eſt, nunquam viuentibus nobis extinguitur: ſi.n. hoc unquam accideret, eo præſertim eueniret tempore, cum ſit intellectus ſecundum actum. Verùm tunc quinetiã potentia eſt,ut. v i i i. contex. i i i. de Anima aſſerit Ariſtoteles: quippe nunquam poteſtatis naturam abijcit, vt mox palam fiet. Sin autem putant Simpliciani, moriente Socrate, vel Platone intellectum interire Poſsibilẽ ea nempe de cauſa,quia poteſtas eius & aptitudo intelligendi deſtruitur,cum illius tamen ſubſtantia remaneat, tale aduerſus ipſos argumentum formo,quod maximè torquebit eos, & apertiſsimè demonſtrabit, vnà cum intellectus noſtri poteſtate eiuſdem quoq; interire ſubſtantiam. Intellectus noſter in Socrate moriente,quatenus Poſsibilis dicitur, interit, igitur quatenus etiam intellectus eſt,& ſecundum ſubſtantiam propriam neceſſariò extinguitur. Conſequens à me facilè probatur: quoniam intellectus noſtri ſubſtantia & natura eſt ſola potentia. Inquit enim Ariſtoteles eo quinto admirabili ac propè aureo contex. *Quare neq; ipſius ulla aliqua eſt natura niſi, hæc, quòd poſsibilis eſt. Vocatus itaq; animæ intellectus (dico autem intellectum, quo intelligit, & exiſtimat anima) nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat.* Non me latet, Simplicium timidè ad hunc locum accedere, multumq; elaborare in ea particula. Neq; interpretanda: quoniam ex hac ille quinetiam comprehendit, intellectum noſtrum materiæ primæ conferri, quæ pariter eam tantùm naturã habet, ut ſit pura nudaq; poteſtas. Atqui Simplicius dum immutat verba contextus, totam Philoſophi ſententiam dilacerat,longeq; ab interpretis munere recedit. Nam intellectus noſter ſi per accidens tantùm poſsibilis diceretur, nunquam aſſeruiſſet Philoſophus, hoc ei natura propria conuenire: immo verò, ſi hic ſecundum naturam propriam actus exiſteret,ſemper ac perpetuò talis eſſet, nec vllo modo illius contrarium aptari ad eum poſſet; neq; hic, vbi eius naturam Philoſophus explicare contendit, vlla

ratione

ratione poſsibilis vocari potuiſſet. Quamobrem, ſi intellectus noſtri potentia vel viuente, vel pereunte homine unquã diſſoluatur, neceſſariò quoq; iſtius deſtruetur ſubſtãtia: quoniam hæc eadem eſt cum ipſa poteſtate. Præterea quo nam pacto inquiunt Simpliciani, intellectum noſtrum, quatenus poſsibilis eſt, interire, eius autem ſuperſtitem remanere ſubſtantiam? Siquidem cum Socrates moritur, eiuſmodi (vt eorum verbo vtar) deficit poſsibilitas. quid deinde fit de ſubſtantia intellectus? remanet quippe, iſti reſpondebunt. vbi ſeruatur? in cæteris, dicent, hominibus; neq; enim extra homines humanus reperitur intellectus. Sed qua ratione ſubſtantia intellectus, quæ erat in Socrate, à reliquis conſeruatur hominibus, niſi ea è Socrate in alios ſe ſe tranſtulerit homines? Aut hercule è Socrate in cæteros homines tranſibit, aut euaneſcet in eodem. Cæterùm hanc rem vberius etiam vt pertractemus, cum opinionis noſtræ præcipuum ſit fundamentum; magiſq; ex Ariſtotelis ſententia confirmemus, intellectus noſtri ſubſtantiam vnâ cum eiuſdem potentia in nobis occidere, ea afferemus in mediũ, quæ à Philoſopho in libello de lõgitudine & breuitate vitæ ſcribuntur. Ea verò hæc ſunt: *Multa enim ſuo modo intereunt, ut ſcientia, ſanitas, & morbus: nanq; corrumpuntur hæc, etiam ſi non pereant, in quibus concepta fuerant, ſed integra maneant. Sic ignorantiæ interitus eſt recordatio, & diſciplina: rurſus ſcientiæ obliuio, & fraus. Euenit tamen, ut cæterorum corruptiones naturalium interitus comitẽtur. Animalia enim ſi obierint, etiam ſcientia & ſanitas, quæ inerant ipſis, pariter intereunt. Quamobrem de anima quoq; huiuſmodi rationibus uteretur aliquis. Quoniã ſi in corpore fuerit anima non natura; ſed eo pacto, quo in ipſa anima ſcientia eſt poſſet etiã utiq; alio modo perire, non ſolũ unà cũ corpore. Itaq; cũm talis eſſe non appareat, aliter eius ſocietatem corpori iunctũ haberi oportet.* Hæc ſunt Ariſtotelis verba, ex quibus duo potiſsimũ contra Simplicianos eliciuntur. Alterum ſanè eſt, quòd, cum quædam formæ duplici de cauſa per ſe, & ex accidenti, videlicet ratione contrarij, & ſubiecti ratione, cui inſunt, deleantur, ſcientia, quæ intellectui noſtro, tanquam ſubiecto, ad hæret, vel ſaltem in eius vi ac poteſtate ſita eſt, & ab eo cõparatur,

paratur, & exercetur, non ſolùm obliuionis, & fraudis cauſa; ſed etiam propter interitum deſtruitur hominis. Alterum verò eſt, quod ex hoc loco maximè perſpicuum fit, intellectum vnà cum reliquis animæ viribus ex ſemine oriri, atq; hominem in formare. Cum enim Ariſtoteles duplici ratione quaſdam formas interire docuerit, vel ratione contrariorum, vel propter ſubiectorum, in quibus inſunt, diſſolutionem; addit deinceps, propter hæc poſſe aliquem argumentari, animam extrinſecus ad corpus non accedere, ſed eſſe illius formam, quæ è potentia ſeminis educatur. Etenim ſi anima (& ſub nomine animæ intellectus præſertim comprehenditur, quoniam de hoc magis eſt controuerſia) non fuerit animati corporis forma, quæ è ſemine ſtatim oriatur, ſed poſtea acceſſerit, vt ſcientia, quæ deinde in animam noſtram aduenit, & diſciplina comparatur, poterit ſanè aliter interire præter eum modum, quo interitum corporis ſequitur. Siquidem vt ſcientiæ, & aliarum formarum, quę extrinſecus adueniunt, proprius eſt alter interitus, quem ſuperſtitibus adhuc eorum ſubiectis patiuntur; & alter non proprius, atq; ex accidenti, quo pariter vnà cum ſubiectis propriis tolluntur; ita neceſſariò duplex animæ daretur interitus, ſi poſtmodum corpori adiungeretur. Vnde neceſſariò periret aliquando anima animali adhuc incolumi remanente. Cęterum, cum non appareat, addit Philoſophus, animã eſſe eiuſmodi naturæ, ut ea pereunte adhuc animal ſuperſtes relinquatur; ſed ipſa potius cum animali intereunte deficiat, aſſeuerãdum eſt, eam aliter, ac ſcientia ſubiecto proprio iungatur, cum corpore ſocietatem iniuiſſe, nempe è virtute ſeminis eductam huic tanquam formam coniunctam eſſe, quæ ab eo nequeat ſeparari. Duo igitur ex citato loco ſunt firmiſsimè accipienda, quæ in vnum etiam rediguntur, videlicet, humanam animam, vt reliquę ſunt naturales formæ, corpori animato eſſe coniunctam; præterea intellectum hominis interitum conſequi. Cuius quidem rei illud eſt ſignũ, quoniam animali extincto ſcientia pariter, quæ ipſi inerat, euaneſcit. Et quanquam habitus ſcientiarum in phantaſiæ

organo

organo, veluti in ſubiecto proprio, fundantur, vt præter alio
rum ſententiam interpretum in v i i. Cap. ſequentis libri de
clarabimus; in intellectu verò ſolum, tanquam in vi ac pote
ſtate eos longo ſtudio, & experientia ſibi acquirēte, & exer
cente ſiti ſint: adhuc tamen Simplicianis valde obſtat hic lo
cus quippe: qui intellectū noſtrum à phantaſmatibus ſolùm
intelligendi capere occaſionem velint, eumq; , cum ſcientis
habitum ſibi comparauerit, phantaſiam veluti inſequentem
habere pediſſequam, cum nulla iſtius ope amplius indigeat.
Quamobrem, ſi pereunte animali, adhuc etiam intellectus re
maneret, ſcientia quoq;, ac cęteri mentis noſtræ habitus ſu-
pereſſent. Nec ſatis eſt, ut poſsibilitas intellectus deleatur,
cùm quia eiuſmodi poſsibilitas ex ſententia Aduerſariorum
eſt accidens & aduentitium quoddam intellectui; & iccirco
ſubiectum ſcientię dici minime poteſt: tum etiam, quia ſecun
dum eos viuente adhuc homine deſtruitur poſsibilitas, & re
manet ſcientia in intellectu, cum ab hac reiecta fuerit poſsibi
litas, & mens noſtra exoptato habitu decorata. Cæterùm, vt
omnis dubitatio & ſcrupulus euellatur, qui hac in re nos ſti
mulare poſſet, qui intellectum ſemper inter operandum phā
taſmata neceſſariò inſpicere aſſeueramus, duo alia ſubijci-
mus Ariſtotelis loca, in quibus ille apertiſsimè fatetur, intel
lectus noſtri interire ſubſtantiam. Ex quibus tibi etiam per-
ſpicuum fuerit, quàm optime hic philoſophorum præſtantiſ
ſimus ſibi ſemper vbiq, cōſtiterit. Prior igitur locus ē in xx.
tertii de Anima contextu, vbi inquit, nos minime reminiſci,
quoniam paſsiuus intellectus corruptibilis eſt. Non ſum
neſcius, quid hic Auerroes, & Simplicius commenti fuerint.
Sed infra in tertio libro nos oſtendemus, quemadmodum in
tellectu hic paſsiuo ſubſtātiam & naturam intellectus noſtri,
qui Potentia appellatur, intelligere debeamus. Alter locus
eſt in xxx. ſectione Problematum problemate iiii. vbi
manifeſtò aſſerit Ariſtoteles, humanam mentem à Natura
gigni, ac deinde etiam perinde lædi, vt cętera Naturæ opera
lacerantur. Quæ tamen, ſi eſſet perpetua, neq; Naturæ opus
diceretur, neq; ab vlla re læſionem aut detrimentum pati
poſſet.

poſſet. Ibi igitur inquit Philoſophus. *Eſt enim mens quoq; rebus à Natura nobis impertitis adnumeranda, uicem ſane gerens inſtrumenti: cæteræ omnes, ſcientiæ, arteſq; noſtræ opera ſunt; mentem ipſam opus eſſe Naturæ fatendum eſt.* Ac paulò poſt ſubiungit. *Ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit; atq; tunc potiſſimum conſumatur & abſoluitur, niſi detrimento aliquo lacera læſaq; ſit, quemadmodum cætera quoq; opera Naturæ.* Hactenus ſatis copioſe demonſtrauimus, intellectum noſtrum Potentia gigni, ac deſtrui ſecundum ſubſtantiam propriam, & nõ ſecundum tantùm eius poſsibilitatem, aiebant vt Simpliciani. Iam verò de ſecundo intellectu diſſerendum eſt, qui intellectus in habitu ab iis nuncupatur. Nempe hic intellectus in nobis gignitur eo modo, quo infra proprio Cap. oſtendemus: nunquam autem extinguitur, niſi cum homo interit: quippe qui ſolo nomine ab eo intellectu, de quo paulò ante locuti ſumus, diuerſus eſt; cum intellectus in habitu nihil aliud ſit, quàm intellectus Potentia, qui homini ſcienti ſimilis euaſit, & perfectionem ſuam adeptus eſt. Quòd ſi viuente etiam homine Simpliciani hunc interire velint, cũ ei intellectus Agens, tanquam forma, coniungitur, atq; ex intellectu in habitu ſemper actu intelligens euadit intelligentia, eos iterum animaduerto, illa fingere, & comminiſci, quæ nunquam docuit Ariſtoteles. Hic enim nullum alium in intellectum Potentia aduenire actum ſignificauit præter eum, de quo in viii. contex. diſſeruit, atq; tunc intellectum noſtrum νοῦν κατ' ἐνέργειαν appellauit; tametſi pleriq; latini omnes, & Simpliciani eum intellectum in habitu vocare conſueuerunt. Si verò intellectus noſter, poſtquam ſcientis habitum acquiſiuit, maiorem adhuc perfectionem aſſequi poſſet, & fieri ſemper actu intelligens intellectus, vtiq; Ariſtoteles, poſtquam de intellectu ſecundũ actum diſſeruerat, ſtatim hãc alteram intellectus noſtri perfectionem nobis explicaſſet, cum hic locus tanquam propriùs & peculiaris huic rei debeatur; nec tantam animi noſtri præſtantiam, ſummamq; felicitatem tacitus vllo modò prætoriiſſet. Verùm hæc Auerrois, ac Simplicii commenti-

Etia

tia futiliſq; ſentētia ſatis hucuſq; rationibus noſtris euanuit, atq; iterum magis propter eas, quas infra adducturi ſumus, euaneſcet. Iam perſcrutari oportet, an Simpliciani idem rectè de intellectu Agente cēſuerint, vt huic certamini, quod nobis cum illis eſt, aliquando finis imponatur. Profectò ſi Ariſtoteliis verbis fidem adhibere voluerimus, nunquam intellectum Agentem gigni, aut interire dixerimus: ſiquidem Ariſtoteles cum iſtius naturam explicat, eum prorſus ab omni materia ſeparatum, perpetuumq; & immortalem eſſe fatetur. Neq; hîc poſſunt effugere Simpliciani, quoniam hęc verba non de intellectu Agente ea ratione, qua Agens dicitur, ſed qua intelligentia eſt, à Philoſopho proferantur: propterea quòd Ariſtoteles in tertio de Anima commentario de intellectu Agente, quatenus intelligentia eſt, minime diſputat, ne limites Naturalis Philoſophi tranſgrediatur. Eo autem in loco iii. de Anima adducto diligenter inſpicienti patere poteſt, quemadmodum ibi Philoſophus munera & prę-ſtantiam Agentis intellectus exponat hunc ſanè cum altero comparans, Potentia qui dicitur intellectus. Quod enim inquiunt Simpliciani, intellectum Agentem, quatenus Agēs eſt, in Socrate & Platone gigni, ac interire, minime affirmandum eſt: etenim cum intellectus Agens ſecundum ſubſtantiam propriam ſit puriſsimus actus, ſcientia nimirum ſecundum actum, atq;, ut vno eum explicem verbo, ſit Deus Opt. Max. quemadmodum infra à nobis demonſtrabitur, nullam ei prorſus tribuere mutationem poſſumus. Et quamuis intellectus Agens ſingularibus hominibus multò poſterius intellectu Potentia coniungatur, eo ſcilicet tempore, cum phantaſmata in phātaſiæ organo retineri, ac percipi ab intellectu Poſsibili incipiunt: nihilominus eiuſmodi copulatio verè intellectus Agentis ortus appellari nequaquam poteſt; quemadmodum iſtius etiam verus dici nequit interitus, cum quis perit ſingularium hominum, & in iis Agens deſinit illuſtrare phantaſmata. Quòd ſi pertinaciter tueri vellent Simpliciani, cum ſingulares homines intelligere incipiunt, ac deinde occidunt, quendam ortum, atq; interitū

Agētem

Agentem intellectum pati; caueant primùm, ne effectum nouum intellectui diuino tribuant, qui ab eo ſine vllo medio proficiſcatur; ac deinde, ne in eundem transferant illam nouitatem, quæ propria eſt ſingularium & caducorum hominum. Intellectus enim Agens ſemper ac perpetuò phantaſmata illuminat, eaq; actu intelligibilia reddit. Et licet hodie in te, vel in me ea colluſtrare incœperit; ob id tamen nõ tollitur, quin ſit ęternum ita egregium & pręclarum illius beneficium; neq; hac de cauſa vllum effectum nouum, aut genus ortus ei aſcribere debemus. Quod item de obitu intellectus Agentis aſſerunt, aliter quidem ſe habet, ac ipſi arbitrantur. Nam intellectus Agens, cum eum tantùm ad Socratẽ, vel Platonem, ac reliquos indiuiduos homines retuleris, qua ratione in eis deficit (ſi tamen eum deficere, concedere velimus) quatenus Agens nuncupatur, eadem porrò, quatenus intellectus eſt, ac ſubſtantia incorporea & immortalis deficere dicetur. Nec ipſe valeo ingenio meo comprehendere, quo fieri poſsit modo, vt intellectus Agens, cum Socrates interit, quatenus Agens deficiat, & adhuc, quatenus intelligẽtia eſt, ratione eiuſdem remaneat Socratis. Mihi quidem eo tempore videtur, ſi qua ratione eſt Agens, deſierit eſſe in Socrate, nihil etiam amplius, quatenus intelligentia eſt, cum eo habere commercii. Probabilior ſanè videretur eſſe altera ratio, qua aſſerunt Simpliciani, intellectum Agentem, quatenus Agens eſt, in homine deleri, quando, vt forma, intellectui Potentia coniungitur, niſi hæc copulatio, tanquam vana & futilis, iam exploſa à nobis fuiſſet. Quare ſuperuacaneum eſt amplius in hoc libro aduerſus eam differere: ſi qua enim dicenda ſuperfuerint, ea in v i i i. ſecundi libri caput, differre oportet, vbi veram & propriam Ariſtotelis ſententiam explicabimus de humana felicitate. Hæc ſunt ea, quæ Simplicii, eiuſq; Sectatorum opinionem præcipuè labefactare, ac penitus deſtruere exiſtimauimus. Complura alia aduerſus hanc hæreſim à nobis adduci potuiſſent, quæ copioſe aliàs à doctiſsimis viris fuerunt examinata: ſed ea fortaſſe nõ adeò Simplicium torquent, nec opinionis ſuæ fundamenta

euertunt. Iam verò nobis aggredi opus eſt ad illius ſententiæ explicationem, quam verè & conſtanter de Humano intellectu tenuiſſe Ariſtotelem, opinamur. Sed, eam ut diſtinctè & ordinatim, quoad eius fieri poſsit, exponamus, paulò altius nos ordiri, oportet; & breuiter ea recenſere, quæ in duobus primis Animæ commentarijs à Philoſopho diſputa fuerunt.

AD COSMVM MEDICEM FLORENTINORVM, AC SENENSIVM DVCEM

Præſtantiſsimum,

IVLII CASTELLANII FAVENTINI IN SECVNDVM LIBRVM de Humano Intellectu Proœmium.

POſtquam homines, PRAESTANTISSIME COSME, multiplices, ac præclaros Naturæ, & cœleſtium corporum effectus admirantes cœperunt primùm philoſophari, & quas ignorabant, humanarum, ac diuinarum rerũ cauſas indagare (ſiue Perſas, ſiue Aſsyrios, ſeu Celtas, ſiue Aegyptios, ſiue, quod ego arbitror, hos Græcos fuiſſe volueris) ortæ ſunt, & paulatim creuerunt illæ artes ac diſciplinæ, quæ nos ad bene beateq; viuendum informare conſueuerunt. Cęterũ à veteribus illis admodum antiquis Græcis (ab ijs enim præſertim Philoſophiam, & omnes ingenuas diſciplinas habuimus) vſq; ad Ariſtotelis tempus vera methodus & ratio latuit philoſophãdi: ſiquidem omnia, quæ ad differendi Artem, & Naturalem, ac Diuinam ſcientiam, & ad Mores hominum attinebant, hucusq; confusè, & ſine vllo ordine explicata fuerant, & Poetarũ fabulis obſcuriſsimisq; allegorijs occultata. Vnde omnes prorſus Philoſophos, qui ætate Ariſtoteli anteceſſerunt, nullam nobis perfectè planeq; tradidiſſe earum diſciplinarum

ſciplinarum, quas ſupra commemorauimus, ſed potius ferè balbutiiſſe de omnibus, rectè cenſere poteris. Tandem igitur accesſit admirabili ac propè diuino ingenio præditus, & flumen orationis aureum fundens Ariſtoteles, qui cuncta Maiorum ſuorum dicta diligentiſsimè perpendens, & firmiſſimis ſenſuum veſtigijs rerum inquirens veritatem, in ſumma caligine & tenebris iacentem, veluti ſol, accendit & illuſtrauit Philoſophiam; eamq; adhuc paruulam, ac propè nudam, & balbutientem ad prouectam vſq; ætatem ingenuè & liberaliter educauit, aureis & purpureis induit veſtimentis, ac ita celeri & exercitata lingua formauit, vt de quacunq; re ſine vlla hæſitatione loqui, ac diſſerere poſſet. Inter omnes verò laudes, quibus perpetuò Ariſtotelem vſq; ad cœlũ extollere debemus, ea præcipua eſt, quòd hic philoſophorum præſtantiſsimus vniuerſam philoſophiam, quæ omnes ante permixtas & cõfuſas habebat partes, ita ordinauit, præclareq; diſpoſuit, ut nihil nos vtilius, nec commodius, nec aptius ad eam adipiſcendam ab humano vnquam ingenio habere potuerimus. Hac, ni fallor, adductus ratione vir doctus in primis, & acutiſsimus Auerroes in Phyſicæ Auſcultationis procœmio Ariſtotelem vocat ſapientiſsimum Græcorum omnium, eiq; hanc egregiam, & ſummam tribuit laudem, ut Naturalem, ac Diuinam Philoſophiam, & Logicen hic ſolus inuenerit, ſolusq; ad ſummam deduxerit perfectionem, cum ea, quæ vſq; ad illius ætatem ante fuerant ſcripta à Philoſophis, nec Logices, nec Philoſophię verè partes nuncupari poſſent. Sed pręter hęc ſi aliam quoq;, POTENTISSIME DVX, partẽ inſpexeris, in qua de vita hominum & moribus diſputatur, profectò noueris Ariſtotelem, nihil omnino prætermiſiſſe, quod ad hanc vberius, & pulchriori ordine, quàm alij fecerint, pertractandam, & perfectè abſoluendam ſpectaret. Quid? non ne etiam Ariſtoteles Oratoriam, & Poeticam artem ita ingeniosè, ordinatim, & apertè tradidit nobis, ut pariter in hoc ſcribendi genere apud Grecos, & Latinos Authores, iudicio Grauiſsimorum Hominum, primus palmam acceperit? nec minus hodie, poſtquam huius

Rhetorices,

Rhetorices, & Poetices commentarii à Petro Victorio, ac Vincentio Madio Philoſopho, Franciſcoq; Robortello, tribus ſanè Doctiſsimis ac mei amantiſsimis viris explicati fuerũt, illius monitis & præceptis vera ars & induſtria pateat Oratorum, ac Poetarum omnium, quàm ſplendeſcat eiusdẽ libris præpotens & glorioſa Philoſophia? Porrò excellens & incredibilis fuit, ILLVSTRISSIME COSME, magnitudo ingenii, ſingularis differẽdi ſubtilitas, mira docendi venuſtas, & elegantia, maximè ordinatũ, & pulcherrimum ſcribẽdi genus Ariſtotelis; ac inter eos, qui de philoſophia, & optimarum artiũ ſtudiis bene meriti ſunt, hic quidẽ, ſi diligenter perpenderis, cæteris tibi omnibus longè præſtitiſſe videbitur. Quare nos vni Ariſtoteli, cũ eius potiſsimùm diligentię, induſtriæ laboribus, & ſtudiis ſummopere deuincti ſimus, maximas agere gratias, & maiores etiam ſemper habere debuerimus. Cæterùm, vt ſumma, & perfecta tanti ac ſingularis gloria philoſophi, quæ huic quidem ſoli tribuenda eſt, experientia magis eluceat, nos eum ordinem breuiter explicabimus, qui ab eo in Naturali philoſophia obſeruatus eſt, ut deinceps deueniamus ad eam methodum, qua vſus eſt in Animę tractatione. Hęc enim prius omnia percurrenda eſſe duximus, cum ad percipiendam Ariſtotelis ſententiam de Humano intellectu valde conducant; cuius deinde explicationem ſtatim aggrediemur.

QVIS FVERIT ORDO, ET SCOPVS *Ariſtotelis in Naturali philoſophia.*

Cap. I.

e ordine phy. philos.

CVM Ariſtoteles in Naturali Philoſophia doctrinam animalium, tanquam ſcopum, ſibi propoſuiſſet, poſtquam Naturæ ordinem ſequens, de primis naturalium rerum principiis & communi earum motu, adhucq; de ſubſtãtia, & curſu cœli, ac reliquis quatuor ſimplicibus corporibus, quibus vniuerſitas mundi conſtituitur, nec non de vniuerſali ortu, ac interitu rerum, & mutua quatuor elementorum immutatione tractauit, addiditq; eorum corporum diſciplinam, quæ in media, & ſuprema aeris regione, ac in viſceribus terrę duplici habitu gignuntur, reliquum erat, ut ipſorum animalium diſputationem aggrederetur. Verùm, quoniam ei, qui perfectam contendebat animalium tradere cognitionem, operæ precium erat hęc tria exequi, nempe ipſarum animalium in primis ſubſtantiam & naturam explicare, deinceps de eorum ortu, tertio autẽ loco de vita, & morte illorum differere; ideo prius Philoſophus de ijs omnibus confuſam quandam nobis tradidit diſciplinam in eis libris, qui de Hiſtoria animaliũ inſcripti ſunt. Cum.n. multiplex & varia eſſet natura animaliũ, diuerſę eſſent tũ internæ, tum externæ eorũ partes, varii modi eorum ortus, ac diſsimiles vitæ, victusq; rationes inuenirentur, & omnia hæc plures ac diuerſas in ſe haberẽt ꝓprietates; ſatius eſſe duxit Ariſtoteles prius hæc omnia generatim, & eo tantum ordine, quẽ ſeruat hiſtoria, nobis enarrare, quouſq; ſolùm queſtio ſi eſt ab eo explicata fuiſſet: nã paulò poſt diſtincte magis & diligẽter, ut Philoſophum decet, omnium cauſas inquirit, & contemplatur. Cum igitur poſt eiuſmodi hiſtoriam de ſubſtantia & natura animalium ei diſputandum eſſet, quoniam duæ ſunt principales partes, quibus animalium ſubſtantia naturaq; complectur, materies nimirum, ac forma, idcirco quamprimum aggreſſus eſt harum contemplationem. Verùm cum materia ſemper

ria ſemper

ria ſemper à forma ſubiici videatur, & ea, quę animalium eſt propria, notior ſit ipſorum forma, quę anima vocatur, atq; ingrediatur etiam illius definitionem, hac de cauſa Ariſtoteles primùm in libris de Partibus, & de inceſſu Animalium commentario cauſas nos docuit omnium eorum, quę ad corporeas animalium partes attinebant. Quem etiam ſeruaſſe ordinem philoſophum, poſſumus affirmare, in eorum tractatione, quæ ſunt expertia animę; quamuis propter naturã iſtorũ corporũ imperfecta ita diſtinctus eiuſmodi ordo apparere nequeat. Sed Ariſtoteles prioris, & corporeæ partis animaliũ cauſis explicatis Animæ diſputationẽ exorſus eſt, quã in primo libro de partibus dixerat magis Naturali Philoſopho conuenire, quàm materiæ, hoc eſt corporis animalium contemplationem, quoniam ea dignior eſt nomine Naturæ, quàm animalium materies habeatur. Quamobrem Ariſtoteles, ut doctè Themiſtius animaduertit, omne ſtudium ac diligentiam, & poſtremas ingeniis ſui vires adhibuit ad negotium Animæ pertractãdum adeò, ut propter eiuſmodi diſputationem magis, quàm propter cæteros cõmentarios, ſummã tanti Philoſophi eruditionem, præſtantiſsimumq; ingeniũ extollerere, admirari, & colere debeamus.

QVA DE CAVSA ANIMAE SCIENTIA *cæteris ferè omnibus nobilitate præſtet.* *Cap.* II.

TAnta eſt Animæ ſcientiæ nobilitas atq; præſtãtia, & ex altera parte adeò laborioſa ac perdiffi cilis eſt illius contemplatio, ut noluerit Ariſtoteles ad rem ipſam aggredi, niſi prius vtrunq; horum veluti proœmio quodam oſtendiſſet. A' priori igitur, & præclarè quidem, ſumpſit exordium, ut homines ardentius ad ſtudium huius ſcientiæ cohortaretur. Anima autem cum ſit forma, animaliumq; perfectio, ideò huius notionem dixit Philoſophus & ſubiecti ratione, & ἀκρίβεια demonſtrationis inter cæteras vniuerſæ philoſophię

F contem-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

contemplationes, Poſtnaturali tantùm excepta, principem obtinere locum. Etenim ſiue infimam & ignobiliſsimã animarum ſpectaueris, quæ plantarum eſt propria, ſiue animaduerteris ſupremam eam vim, & nobiliſsimam, quæ intellectus & mens appellatur, atq; hæc ſeu ſit animæ pars & potẽtia, ſiue extrinſecus proficiſcatur, ac vti nauta ſe in nos naſcentes inſinuet, ſiue intus communi aliarum rerũ ortu proueniat, quid nam ea admirabilius in hoc vniuerſo caducarũ rerum ambitu, quid præſtantius, quid mehercle diuinius reperiri poteſt? Porrò aliquis poſſet exiſtimare v i i i. Phiſiſicæ Auſculationis librum, duosq; primarios cœli commentarios ſubiectæ materiei nobilitate animæ diſputationem excellere: ſed hęc minime probanda eſſet opinio: quoniam in v i i i. Phyſicorum libro de Deo ea ratione, qua prima eſt mouens cauſa, non autem, qua eſt Deus Opt. Max. diſputatur. In cœli autem commentariis quamuis cœlum animatum eſſe ponatur, in eoq; dextrum, & ſiniſtrum, cæteraſq; differentes loci poſitiones inueniri demonſtretur; attamen de ipſius anima & forma, hoc eſt, de natura et ſubſtantia intelligentię cœli minime pertractatur: ſed tantùm in eis libris agit Philoſophus de cœleſti materia, in qua reſidet intelligentia, perinde ac ſe geſsit in libris de Partibus Animaliũ, in quibus oculos, manus, & pedes, ac reliquas partes, licet eæ ſint anima præditæ, haud tamen, quatenus eiuſmodi ſunt, conſiderauit: quoniam animæ contemplationem ad libros animę relegauit, quemadmodum etiam intelligentiæ cœli conſiderationem Primæ reliquit Philoſophię. Cęterùm Animę diſciplina demonſtrationis ἀκρίβεια Mathematicis ſcientiis, nedũ cęteris cognitionibus longè præſtat: propterea quòd in ea aſſignatur cauſa, qua primis demõſtrationum principijs aſſentimur. Quod eo loco palàm fit, vbi oſtenditur intellectum noſtrum, cum in aliqua arte vel diſciplina percipienda par hominis ſcientis euaſerit, primorum principiorum terminos ea ratione cõnectere, & ſimul iunctos deinde affirmare conſtanter, cum eos intellectus Agens lumine ſuo maximè claros perſpicuoſq; reddiderit. Intellectus quidem noſter

primis

primis aſſentitur principiis, & ea iudicat, aliter ſe ſe habere nõ poſſe: atqui hic aſſenſus & approbatio ab eo proficiſcitur præeunte lumine alterius intellectus, Agens qui nuncupatur. Cuius quidẽ cauſæ, explicatio cum peculiaris ſit Animę contemplationi, ab hac cęterę ſcientię (ut notauit ingenioſe Themeſtius) conſtantiam ſuam, & ἀκρίβειαν aſſumunt. Quamobrem Animę ſcientię cedere etiam debent Mathematicę demonſtrationes. Fortaſſe etiam quis crederet, eadem ratione Poſtnaturalem Philoſophiam ab animę doctrina antecelli. Sed nos alias in ea diſputatione, quam contra Ciceronis Academicas quęſtiones commentati fuimus, omni ſtudio probare contendimus, Diuinam ſcientiam inter omnes principem obtinere locum. Cum enim potiſsimas, quibus diſcimus, cauſas conſideret, ac Dei Opt. Max. à quo intellectus noſter, & omnis alia res, ac veritas proficiſcuntur, naturam & ſubſtantiam exponat, nos maximè docere videtur & exactiſsima eſſe omniũ diſciplinarum, quę certa, firmaq; ſcientia animum noſtrum exornat. Quam tamen ſententiã noſtram ita explicauimus, vt ſaltem eruditis viris aliquid in ſe probabilitatis continere videretur. Quamobrem haud multum cum eis contendere debuerimus, qui Animę ſcientię primas tribuere voluerint, eamq; hac in parte Diuinę etiã anteponere philoſophię. Nos enim ſatis in ea Diſputatione conſecutos eſſe arbitrabimur, ſi iuniorum Philoſophantium ingenia aliquãtum excitauerimus. Verùm eiuſmodi ἀκρίβεια, qua Animę contemplationem cęteris pręſtare diſciplinis aſſerimus, ne hac in parte mancum quis crederet Ariſtotelem, ad illud genus reduci debet, quo X L I I. Primi Poſteriorũ particula affirmat Philoſophus, exactiorem, & priorem eſſe ſcientiam alteram altera, quæ ipſius eſſe, & propter quid eſt, eadem dicitur. Siquidem intellectus noſter iam habitum ſcientis adeptus perinde demonſtrationum principia reſpicit, vt hęc deductas ab eis concluſiones ſpectant. Quare nec etiã alicui mirum videri debet, quòd alias Philoſophus Mathematicarum ſcientiarum ἀκρίβειαν in primo gradu collocauerit: tunc enim Ariſtoteles de ea ἀκρίβεια locutus eſt, quę ap

paret in eis demonſtrationibus, quæ teſtimonio ſenſuum cõ firmantur, atq; à cauſis ad paſſiones & effectus demonſtrandos proficiſcuntur. Qua hercule ratione primas obtinent Mathematicę demonſtrationes, nõ modò cum effectus prioribus cauſis, veris, proximisq; concludant; ſed eis etiam vtatur cauſis, quæ ſenſibus noſtris, nedum intellectui manifeſtæ ſunt: propterea quòd in continua & diſcreta quantitate, nec nõ in quarto genere Qualitatis, quæ communia ſunt ſenſibilia, tantummodo verſantur. Sed iam methodum Ariſtotelis perpendamus: plus enim fortaſſe, quàm par erat, ſuper hac priori parte digreſsi ſumus.

QVAM METHODVM IN TRACTATIONE *Animæ ſeruandam Ariſtoteles in primo libro pollicea tur.*
Cap. III.

POſtquam Ariſtoteles Animæ diſciplinam oſtendit, cùm ſubiectæ materiei nobilitate, cùm demonſtrãdi ἀκρίβειαν, præter Diuinam, cæteras omnes ſcientias excellere, nec non vtilitatem animaduertit, quam ea vniuerſę philoſophiæ, prę ſertimq; Naturalium rerum contemplationi affert, propoſuitq;, ſe velle primùm illius naturam & ſubſtantiam, deinde accidẽtia, & paſsiones proprias inueſtigare (in iis enim duobus pręcipuè Animę diſputatio verſari debet) in mediũ difficultates affert, quę & vtraq; parte naſcuntur. Verùm, dum oſtendit Philoſophus, diſputationem Animæ & in eius ſubſtantia, & paſsionibus examinandis multis obſtructã eſſe difficultatibus, admirabili quadam arte & induſtria nos docet, qua vti nos methodo oporteat, ut omnes euitentur difficultates, dubiaq; diſſoluantur. Eiuſmodi verò ordinem, ac methodum ſeruandam eſſe ex philoſophi verbis elicio. Quamuis de methodo definiendi maxima inter Philoſophos agitetur quęſtio, & alii aliter ſenſerint, nos tamen in primis animæ definitionem afferre debuerimus, cum omnis, quę ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio debeat à definitione

tione proficiſci. Cęterùm cum diuerſarum rerum diuerſæ etiam ſint definitiones, primùm nos animaduertere oportet, an omnis anima vnó & eodem loco, & ſubiecto contenta ſit, vel potius ſecundum diuerſos locos (ut cenſuit Plato) ſubiectaq; partiatur: & ſi ſit eiuſmodi ſpeciei in cunctis animantibus, an ſpecie, vel genere in illis diſtinguatur. Etenim cum nouerimus, omnes animas communi ſaltem inter ſe genere conuenire, perpendemus poſtea diligenter, an animę definitio conflari debeat, vt animalis, hoc eſt, an definiri debeat, vt genus vniuocum: an potius talis ſit omnis animę definitio; qualis eſt equi, canis, hominis, Dei, videlicet, an anima, vt analogum genus ſpecies ſuas reſpiciat; quemadmodũ ea, quæ dicta ſunt, ſub viuo tanquam ſub genere analogo reducuntur: ζῶον quippe, ſcilicet viuum primùm de corpore cœleſti, quod Dei voce intelligo, vt etiam Simplicius accipit, deinceps de homine, cane, & equo veluti analogum prædicatur. Quòd ſi nouerimus, animam in numero eſſe repoſitam analogorum, eam definire volentes, cum prius de tota anima, quàm de illius partibus differendum eſſe duxerimus, primùm nos inquirere oportebit, in quo genere reponatur, videlicet, an in prędicamentó ſubſtantię, vel alio quouis nouem generum collocari debeat: & inuento eius genere proprio iterum conſiderandum erit, an in eo compoſiti & materię, vel potius actus & formę rationem habeat. Poſt generis inuentionem haud multum elaborandum erit in differentia animæ inueſtiganda: propterea quòd eam verè analogũ genus non habet, cum nihil ſit, vel poſterius quoddam factũ. genus quippe analogum non eſt res, quę per ſe firma & conſtans exiſtat, ſed à prima ſumet ſpecie omnem vim ſuam accipit. Verùm, ut Animę definitionem complere valeamus, eius accidentia & paſsiones incipere oportuerit: quæ ſanè via, à poſteriori vocata, peculiaris eſt Naturali Philoſopho. Quemadmodum enim ipſum Quid eſt, quod dicitur principium demonſtrationis, maximè nobis confert ad paſsiones & accidentia cognoſcenda; ita ex altera parte, cum ignoramus definitionem, accidentia ad eam conſequendam nobis

valde conducunt propterea quòd effectus veſtigia ſunt intellectui ad cauſas ſubſtantiasq; rerum percipiendas, cum in effectibus neſcio quo pacto reluceat & ſplendeſcat natura cauſarum. Sed illud præter hęc à nobis debet animaduerti, an Anima habeat aliquam paſsionem & operationē propriam: ſi enim uiderimus omnia iſtius opera & paſsiones à corpore dependere, atq; etiam intellectum abſq; obiecto corporeo ſuo munere nequaquam fungi poſſe; tunc ita à nobis agendum erit, vt Animę definitionem afferamus, in qua materia & corpus appareat: quæ quidem definiendi ratio, maximè Naturalis eſt propria, ad quem attinet ob eandem cauſam de omni anima, quæ corpore, aut virtute corporea indigeat, pertractare. Hęc mea quidem ſententia eſt methodus, quam primùm in vniuerſali animę tractatione, deinde in ſingulis quinetiam ſpeciebus Animę definiendis ſeruandam eſſe propoſuit Ariſtoteles. Nemini autem mirum videri debet, ſi hac in parte philoſophus tradiderit modum definiendę Animę, cum in 1. Poſteriorum libro de methodo definiendi ſatis exactè & diligenter tractauerit: neq; enim iccirco Ariſtoteles tanquam ſuperuacaneus condemnari debet. Nam duplicem habemus Logicam (ut ſępe notat Auerroes) alteram vniuerſalem, particularem alteram. Vniuerſalis porrò vniuerſales & communes regulas tradit philoſophandi; & hanc Ariſtoteles in libris Logicę facultatis vniuerſam complexus eſt: Particularis autem particulares nos docet modos progrediendi in particularibus philoſophię contemplationibus; hancq; in librorum ſtatim initiis Philoſophus proponere conſueuit. Quod manifeſtum eſt in Phyſicę Auſcultationis proœmio, vbi viam & methodum docet, qua illum vti oporteat in Naturalium rerum principiis inueſtigandis. Sanè hęc particularis Logica ea eſt, quam in primo libro de Partibus Animalium παιδείαν vocat Ariſtoteles, eamq; in omni contemplandi genere inueniri affirmat. Sed nos altero quinetiam modo allatam dubitationem diluere poſſemus; quanquam prior ſatis valde facere videtur. Ariſtoteles enim in ſecundo Poſteriorum libro nobis ſolùm

tradit

tradit methodum definiendi ſpecies, & genera ſubalterna: de analogi verò definitione minime illi agendum erat: quoniam Logicus, cum ſit artifex quidam craſſus, Naturali, atq; Diuino Philoſopho relinquit analogi conſiderationem; & ſi de eo vllam cogitationem habeat, illud ſub æquiuoco comprehendere videtur.

QVAM DILIGENTER SERVAVERIT ARIſtoteles propoſitam methodum in tradenda communi animæ definitione.

Cap. IIII.

IAM verò à nobis videndum eſt, vt accuratè ſeruauerit Ariſtoteles eam methodum, quæ in primo libro ab eo fuit propoſita. Porrò Philoſophus reiectis veterum ſententiis philoſophorum, quas de Anima protulerunt eisq; ſelectis, quæ aliquid in ſe boni continere videbantur, quamprimum in ſecundo libro ſententiam propriam afferre decreuit. Cum verò Anima, vt diximus, ſit quoddam genus analogum, prius vniuerſalem quendam de Anima ſermonem habere debuit: quoties enim cunq; analogum alterum genus, & comprehenſiones magis vniuerſalis, ſibiq; ſuperiores habet, ante de analogo tractare oportet, quàm de ſpeciebus illius diſſeratur. Hac me hercule ratione Philoſophus prius de Natura egit, eamq; definiuit in II. Phiſicorum cõmentario; quàm de materia, & forma, quatenus Naturæ ſpecies dicuntur, ſermonem faceret. Eundem pręcisè ordinem in tractatione motus eum ſeruaſſe, perſpexeris. Ens autem, quanquam vt analogum genus de ſubſtantia, & accidente prædicatur; attamen quia non habet ſupra ſe genus, neq; ſuperiorem animi comprehenſionẽ (quale enim genus reperies, & quid conceperis animo, quod ens appellari nequeat?) vniuerse ab Ariſtotele definiri non potuit. Quamobrem in IIII. Primę Philoſophię commentario, cum ad propoſitam rem aggreditur, quamprimũ diuidit ens in ſubſtantiam,

ſtantiam, & ea, quæ ſubſtātię accidunt (quę ſanè diuiſio quędam maximè vniuerſalis entis tractatio nuncupari poteſt) & poſtquam de ente ſecundum accidens, & ente vero, quod eſt in anima (quæ duo entis genera propriè entia non dicuntur) in vi. libro diſſeruit, ſtatim in vii. ad ſubſtantię conſiderationem tranſit. Quæ cum ſit prior entis analogi ſpecies, ab ea cunctorum omnino entium, vt in ſecundo quarti libri contextu Philoſophus admonuerat, iudicium, notioq; dependet: & qui eam perfectè nouerit, vniuerſi pariter entis cognitionem fuerit conſecutus. Quibus autem de cauſis vniuerſalis rerum diſputatio particulari antecedere debeat, diligens, nec homo inſulſus Auerroes in Phyſicorum proœmio, & ſæpe aliàs declarauit; quæ quidem cauſæ tyroni etiā philoſophanti patere debent. Nunc verò ad ipſam rem accedentes dicimus. Cum Ariſtoteles vellet communem omni animæ definitionem afferre, illius primùm genus inquirit, & ea de cauſa ſtatuit ſubſtantiam quandam naturam eſſe, eamq; in tria genera, nempe materiam, formam, compoſitum ſecat: atq; vnum quodq; horum declarando aſſerit, eam eſſe materiam, quæ ſecundum ſe non eſt hoc aliquid, formam autem eſſe illam, propter quam res dicitur eſſe hoc aliquid; cum deinde illud compoſitum appelletur, quod ex vtraq; conſtat. Quibus item adiungit, ſe per formam & ſpeciem intelligere ἐντελέχειαν: quod abſq; ratione non adiddit, cum ἐντελέχεια ex Alexādri doctiſsimi hominis, ac diuini quidem interpretis ſententia perfectionem & finem illius rei ſignificet, cuius eſt ἐντελέχεια, & in primam, ſecundamq; diuidatur, quod ſpeciei, & formæ non euenit. Poſt hęc Philoſophus, vt oſtendat Animam eſſe formam, non autem materiam, ſiue compoſitum, atq; ut reperiat communes animę operationes, quæ in cunctis viuentibus inueniuntur, & quibus mediis totam definitionem complere poſsit, naturalia diuidit corpora, quæ ſubſtantiæ præcipuè dicuntur, in ea, quæ vitam habent & ea, quæ ſunt expertia vitæ, & quę ſit vita declarans infert, corpora vitam poſsidentia neceſſe eſſe, ut ſint ſubſtantię compoſitæ. ex

quibus

quibus deniq; concludit, Animam non poſſe eſſe corpus, neq; materiam, cum in ſubiecto inſit, ut eius pars, atq; perfectio. Quare ſequitur neceſſario, ut ſit ſpecies & ἐντελέχεια, ἐντελέχεια autem corporis phyſici potentia vitam habentis. Quoniam verò duobus modis dicitur ἐντελέχεια, ſiue actus, primus videlicet, ut ſcientia, ſecundus, vt contemplatio, Anima eſt actus primus, ſiue prima ἐντελέχεια corporis phyſici potentia vitam habentis. Et hæc vniuerſalis eſt Animæ definitio, in qua induſtriam Ariſtotelis & ingenii acumen admirari debemus: quippe qui genus analogum ſolùm etiã analogis terminis definierit: etenim ſubſtantia, actus, corpus, Potentia, vitam habens ſecundum analogiam prædicantur. Quem pariter modum Philoſophum obſeruaſſe in motus, & Naturæ definitione perſpexeris. Hæc autem definitio ſecundum analogiam attributionis dictam de alendi, ſentiendi, intelligendi virtute prædicatur; quoniam primùm, & magis alendi virtuti conuenit, quàm reliquis duabus, cum eæ abſq; altrice anima conſtare nequeant, & ea ſublata aliæ duæ pariter deleantur; quæ ſunt primę ſpeciei analogi proprietates. Verùm, ut perſequamur ea, quæ propoſito noſtro maximè conducunt, Philoſophus poſt adductam definitionem nititur probare ſecuris & oculi exemplo, Animam eſſe primum actum, & quod quid erat eſſe (ut aiunt noſtri Philoſophi) corporis animati. Sed neq; hoc contentus longè omnibus præſtãs & ingenio, & diligentia Ariſtoteles in x i i. eiuſdem ſecundi libri contextu proponit, ſe velle alteram communem omni animæ definitionem inveſtigare, quę dicat propter quid eſt, ac veluti principium ſit allatæ definitionis, quæ fuit tanquam concluſio, & quęſtionem quia eſt tantummodo explicat, cum veram cauſam non aſsignauerit, propter quam Anima ſit forma, & quod quid erat eſſe corporis animati. Ad hanc verò alteram communem omni animę inueniendam definitionem, non particularem, ut pleriq; aiunt interpretes, eadem via à poſteriori dicta progreditur. Seiunctis enim animatis corporibus ab inanimis vitæ operatione, & diſtincta vitæ actione in eam, quæ intellectus eſt,

 ſenſus,

ſenſus, motus ſecundum locum, & alendi, augendiq; virtutis; nec non quibuſdam harum animæ partium proprietatibus declaratis, atq; vt iſtarū aliquæ in plantis & animalibus ſeparentur, in homine verò omnes ſola ratione diſcrepent; tandem affert in xxiiii. contextu alteram definitionem explicantem propter quid Anima ſit forma, & primus actus corporis animati; & hac ratione quidem argumētatur. Cum illud, quo viuimus, ſentimus, mouemur ſecū dum locum, & intelligimus, duplici in nobis de cauſa reperiatur, & beneficio corporis, & beneficio animæ: ſed corpus ſecundaria id nobis ratione præſtet: anima autem veluti prima cauſa iſtud priori nobis ratione largiatur, neceſſariò ſequitur, ut Anima quædam ſpecies & forma, non autē aliqua materies & ſubiectum dicatur. Siquidem illud forma & actus appellatur, à quo primò actiones proueniunt, quæ in animalibus videntur. Quod ſcientiæ ac ſanitatis exēplo clariſsimè demonſtratur, primaria quarum ratione nos ſcimus, & ſanorū corporum muneribus fungimur. Vt priori autem ratione vitam, ſenſum, motum ſecundum locum, & intelligentiam ab Anima obtineamus, hinc facilè deduci poteſt. Etenim cum triplex dicatur eſſe ſubſtantia, nimirum ſpecies, materia, compoſitum, & materia ſit potentia, ſpecies actus, qui quidem eſt prior potentia, atq; Animæ actus non ſit ipſum corpus, ſed cuiuſdam corporis, nempe animati corporis eſſe dicatur, Anima profectò illud erit, quo pripò viuimus, ſentimus, mouemur ſecundum locum, & intelligimus. Quamobrem ſtatim in xxvi. particula ſubiungit Philoſophus, eos optimè ſenſiſſe, qui Animam corpus & eſſe negarunt, & eam nihilominus abſq, corpore perſiſtere nequaquam poſſe affirmarunt. Porrò hucuſq; Ariſtoteles vniuersè & generaliter de Anima pertractauit: mox deinde ſingularem vniuſcuiuſq; poteſtatis Animæ tractationem aggreditur: quoniam vniuerſalis rerum cognitio parum prodeſt, niſi particularis, quæ exactior eſt, eam comitetur. Antequàm vero rem ipſam attingat Philoſophus proponit, ordinem à nobis notioribus ſibi obſeruandum eſſe, cum nimirū

velle ab obiectis ad opera, & ab operibus progredi ad partium Animæ ſubſtantiam & naturam explicandam. & itaq; in primis agit de alendi, augendiq; virtute: quippe quæ in animatis omnibus reperitur, & idcirco infima eſt, ac aliarum ignobiliſsima: addas tu, & quoniam eſt prima ſpecies, de qua Anima, ut analogũ, p̄dicatur. Abſoluta altricis animæ diſputatione de omni ſenſu tum externo, tum interno differit Ariſtoteles: tertio lo co naturam explicat phantaſiæ: tandem verò ad intellectus noſtri contemplationem accedit. Quam ſanè partem veluti ſcopum nobis propoſuimus, & ad eam quã primum aggrediemur, poſtquã ea, quæ ex ſuperioribus philoſophi dictis eliciuntur, breuiter perſtrinxerimus.

ANIMAM NON POSSE A' CORPORE *ſeperari, & quæ ſit uera hominis forma, quibuſq; partibus conſtet, & quomodo uocetur.*

Cap. V.

CVM ſupra dixerimus, Animam non eſſe corpus, ſed eſſe aliquid corporis nimirũ primã corporis ἐντελέχειαν, hoc eſt, primũ corporis actũ & perfectionẽ, idq; demonſtrauerit Ariſtoteles nõ ſolũ ratione quia eſt dicẽte, ſed ea etiã, quę propter quid explicat, vnà cum Gregorio Niceno Theologo alacri animo debemus aſſerere, Animam ex Ariſtotelis ſentẽtia à corpore ſeiungi non poſſe: ἐντελέχεια enim quæ eſt perfectio finiſq; poſtremus, ac ille habitus, qui motione acquiritur, minime ſeparari poteſt ab eo, cuius eſt ἐντελέχεια: quoniam hoc naturæ actus, ἐντελεχείας q; repugnat. Sed quia hoc aliquis de intellectu poſſet ambigere, idcirco nos in præſentia iſtud aperire conabimur eis præcipuè Ariſtoteleis dictis, quæ hucuſq; recenſuimus. Porrò Ariſtoteles Animę genus inquirens, quò eam definire poſſet, ſubſtantiam in materiam, formam, compoſitumq; diuiſit; & cum forma ſit ea, qua res dicitur eſſe hoc aliquid, illam pro genere Animæ ſumpſit, & tandem allata definitione in vii. particu-

la concludens hæc ait: *Si quid igitur commune de omni anima oportet dicere, erit utiq; primus actus corporis phyſici organici*. Sanè intellectui, ſi hic, vt æternum, à corpore ſeiungetur, non erit communis Animæ definitio. Neq; hunc poſſumus locum interpretari, ut nonnulli faciunt, dicentes hic Ariſtotelem de alendi ſolùm, ac ſentiendi virtute loqui: propterea quòd allatam definitionem in XXIIII. contextu probat eo, quòd Anima proprium ac verum principium eſt, quo viuimus, ſentimus, mouemur ſecundum locum, & intelligimus. Ex quo apertiſsimè conſtat, ſub priori definitione intellectum etiam comprehendi, & omnem animam, ſiue plantæ, ſeu beſtiarum, ſiue hominis fuerit, corporis actum à nobis affirmandam eſſe. Præterea Philoſophus in XXVI. contextu eorum ſententiam reiicit, qui Animam ad corpus tantùm accõmodabant, nec quid, aut quale eſſet eiuſmodi corpus determinabant: & ex altera parte commendat eos, qui Animam non eſſe corpus, ſed bene eſſe aliquid corporis, & ſine corpore exiſtere nequaquam poſſe, opinabantur. Verùm vt hęc veritas magis appareat, & oſtendamus, quàm firmè ſemper in hac ſententia permanſerit Ariſtoteles, alium ſuperiorem locum XV. contex. diligenter conſiderandũm proponimus, vbi aſſerit, altricem animam à ſenſu, & intellectu poſſe diſiungi; ſenſum autem, ac intellectum ab ea in mortalibus minimè ſeparari poſſe. Profectò, vt vult Ariſtoteles, animam ſtirpium ſecundum ſubſtantiam propriam, nedum ſecundũ rationem, à ſenſu & intellectu ſeiungi: ita me hercle cum ſenſum, & intellectum inquit ab alendi virtute non ſeparari, neceſſe eſt etiam, hæc tria vt ſecundum ſubſtantiam propriam ſimul iungi in caducis affirmet. Et ſi quis hoc à Philoſopho intelligere vellet apertius, ut planè videat, nos non poſſe aliter interpretari Ariſtotelem, legat, ac perlegat XXII. contextum, qui ſequitur, vbi Philoſophus, poſtquam probauit, animam ſtirpium à cæteris ſecerni, oſtendit deinde, reliquas partes animę ſola inter ſe ratione poſſe diſiungi: inquit enim. *Reliquæ autem partes animæ manifeſtum ex his, quòd ſeparabiles non ſunt, ſicut quidam dicunt: ratione autem, quòd aliæ, manifeſtum eſt:*

ſenſitiuo

ſenſitiuo enim & opinatiuo aliud; ſiquidem & ſentire ab ipſo opinari. ſimiliter autem & aliorum, quæ dicta ſunt, unum quodq;. Nempe Ariſtoteles quod in primo aſſeruerat libro Platonem reprehendens, qui animi noſtri partes inter ſe loco, & ſubiecto diſtinxerat, hîc apertiſsimè confirmauit, intellectum ſcilicet cum ſenſu, & reliquis Animæ potentiis vnam & eandem eſſe ſubſtantiam, neq; ab eis, niſi ſola ratione diſiungi poſſe. Illud verò mihi non obiiciatur, hîc nos per opinatiuum debere intelligere phantaſiam, vel eam cogitatiuam, quam nunquam excogitauit Ariſtoteles. propterea quòd Philoſophus de eis Animæ partibus loquitur, quibus ſupra conſtare Animam affirmauerat in xviii. contextu dicens. *Nunc autem eo uſq; dictum ſit ſolùm, quòd Anima eſt horum, quæ dicta ſunt, principium, & his definita eſt, uegetatiuo, ſenſitiuo, intellectiuo, & motu.* De quibus deinde ſtatim in ſequenti contextu dubitauit, an inter ſe loco, & ſubiecto diſiungerentur, ac in xx. contextu docuit, quid de alendi virtute credere debeamus. Igitur reliquum erat, ut in xxii. de reliquis iam motam ambiguitatem diſſolueret. Verba autem greca διανοητικὸν, καὶ δοξαστικὸν in phantaſiam, ſiue cogitatiuam perperam conuertuntur, ut fideliores, eruditioresq; Græcorum interpretes atteſtantur. Sed præter hæc alio quidem loco ſecundi libri de Generatione Animalium cap. iii. vti ad hanc ſententiam valde aperto ac optimo poſſumus. Vbi Ariſtoteles, poſtquam nobis oſtendit, ſemina fæcunda eſſe ratione ſpiritus in eis contenti, atq; eiuſmodi ſpiritum naturam ignis non obtinere, ſed potius ſimilem eſſe elemento ſtellarum, tandem ſubiungit, omnem animam ineſſe in ſemine ſecundum potentiam; nempe omnem vim ac animæ partem vnà cum ſemine à patre deciſo oriri; tametſi aliqua eſt à corpore ſeparabilis, qualis humana mens exiſtit; aliqua verò nequeat ſeparari. Atq; hæc ſunt verba Ariſtotelis. *Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principii contentum unà prouenit, partim ſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur: partim inſeparabile; hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur.* Quibus verbis apertè conſpicimus, mentem noſtram idem

cum

cum cæteris Animæ virtutibus habere ſubiectum, vnaq; oriri cum ſemine; quoniam eſt principium animalium, præſtantiſsima nimirum virtus, quæ reperiatur in homine. Sciēdum eſt igitur, vt colligamus ea, quæ ex iam ſupra demonſtratis inferri debent, cunctas Animæ virtutes, de quibus paulò ante mentionem fecimus, in homine reperiri, & ſola inter ſe ratione differre. Siquidem vbi animarum præſtantiſsima, quæ mens eſt, inuenitur, ibi neceſſum eſt reliquas pariter ignobiliores ineſſe (de caducis enim animalibus loquimur) quarum vis & poteſtas à nobiliſsima illa contineatur: quippe intellectus alendi, ac ſentiendi virtutē periade in ſe complectitur, vt quadratum in ſe triangulum continet; cum propè in animis ſe ſe res habeat, quemadmodum in figuris conſpicitur. Quamobrem humana Anima, cum hominis ſubſtantiam compoſitam vnam reddat, vnà tantùm eſt numero, & regiam ſedem habet in corde, ut Ariſtoteles in libello de iuuent. & ſenect. ac in fine commentarii de communi animalium Motu apertiſsimè fatetur; tametſi deinde diſpergitur per vniuerſum corpus. Quæ ſanè Anima quãuis vna tantùm ſit numero, atq; vt vna in noſtri ortu temporis puncto è virtute ſeminis educatur; plures tamen habet partes (nam eſt quoddam totum, non quidem in actu, ſed in potentia) quas partes aliis nominibus alia ratione habita potentias & facultates nuncupare ſolemus. Quare maximè decepti ſunt illi, qui crediderunt, quas nos facultates & virtutes Animæ vocamus, eiuſdem eſſe proprietates & accidentia: quippe quòd ſunt Animæ partes, quę naturam eius & ſubſtantiā conſtituunt, quod manifeſtò explicat Ariſtoteles dicens. *Anima ijs definita eſt uegetatiuo, ſenſitiuo, intellectiuo, & motu.* Præterea ſi eiuſmodi potentias volueris eſſe proprietates, tale ſubiectum à te Anima ſtatuetur, cui demonſtrationibus eiuſmodi ineſſe accidentia, probare poſſemus; & verè dicere, Animam ſentire, intelligere, contriſtari, gaudere, iraſci, tandemq; eam texere, & ædificare. Quæ tamen nomina, tanquam non apta nec congruentia Animę, in primo libro ab ea reiecta fuerunt. Addas tu, ſi hæ potentiæ proprietates,

& accidentia

& accidentia Animæ fuiſſent, eas toties Philoſophus Animæ partes non appellaſſet: quoniam proprietates ſuorũ ſubiecto rum partes minime dicuntur. Hæ igitur partes ac poteſtates Animæ ita in vna anima colligãtur, ut loco, & ſubiecto, quod ſupra monſtrauimus, inter ſe minime ſeparentur; ſed æquè omnes per ſingulas corporis partes diffuſæ ſunt, velut colori, odori, ſapori, qui in malis ſunt aureis, cõtingere videmus. Et licet omnes Animæ uirtutes in quanis corporis parte reperiã tur; minime tamẽ reprehendẽda eſt Natura, quòd fruſtra pe dibus vidẽdi facultatẽ tribuerit, cum hac in parte non videa mus; neq; hîc Natura fabricata ſit inſtrumentum: quoniã ſa tis eſt, ut oculis vidẽdi munere fungamur. Porrò Animæ par tes ac potẽtię ſubiecto, & loco inter ſe nõ ſeiunguntur; ſed ea ratione diſcrepant, quòd aliæ, vt ſenſus & intellectus, neſcio quomodo afficiuntur, antequàm conſequãtur eorũ actiones: alię verò, ut alendi, ac mouendi facultas, abſq; vlla ab eis paſ ſione ſuſcepta tantùm agere videntur. Cui hoc alterũ diſcri men addas: ſiquidẽ Anima in omnium iſtarum functione nõ vtitur inſtrumẽto. alendi quippe, ſentiendi, ac mouẽdi virtus ſine inſtrumento operari nequeunt: ſolus verò intellectus in ſtrumentum corporeum non requirit. Ex quo factum eſt, ut inter Animæ poteſtates aliquæ à materia abſtractę; nonnullæ verò in materiam immerſæ dicerentur ea videlicet ratione, quòd hæ vtantur, illę non vtantur inſtrumẽto corporeo. om nes tamẽ, vt diximus, in corpore ſunt, & in vna vnius Animæ ſubſtantia colligantur, quæ ex nutriendi, ſentiendi, mouẽ di virtute, nec non intellectiua conſtat particula; atq; ab hac vltima, tanquam à nobiliſsima omniũ, intellectiua appel lata eſt. Itaq; intellectiua anima, non intellectus vera erit ho minis forma, quę informabit hominẽ ac perficiet: ſiquidem intellectiua anima totum eſt quoddam, in qua, tanquã pars, vniuerſę formę intellectus reponitur. Et ſi intellectus pro in tellectiua anima, & contra intellectiua anima pro intellectu aliquando à Peripateticis vſurpentur, hos dixerim, ita loqui more Poetarum, qui partis voce totum, ac totius vocabulo ſæpe partem ſignificãt. Sed iam tempus videndi adeſt, quam naturam & ſubſtantiam huic præſtantiſsimæ parti aſsigna-

uerit Ariſtoteles, quæ eſt in cauſa, vt homo, cuius eſt propria, non modò cunctis aliis viuentibus maximè præſtet; ſed propè etiam accedat ad diuinarum ac beatarum mentium nobilitatem.

QVAE SIT NATVRA INTELLECTVS *Potentia.* *Cap.* V I.

CVM Ariſtoteles, abſoluta altricis animæ & ſenſuum cùm externorum, cùm internorum diſputatione, intellectus contemplationem aggreſſus eſſet, admirabili profectò arte ac in genio eiuſmodi negotium pertractauit. Siquidem cū duplex in nobis ſit intellectus, alter, qui intellectus, δυνάμει, & δυνατός, id eſt, Potētia, & Poſsibilis â Philoſopho vocatur, cum hic ſolùm naturā habeat puræ ſimplicisq; potētię, qua omnia actu poteſt euadere: alter aūt, ab eo ποιητικὸς & ἐνέργεια qui dicitur, quòd purus actus & ſimplicisſimus exiſtat, & ex altera parte omnia actu faciat intelligibilia; prętercea cum iterum prior in intellectum ſecundum actum, & in eum, qui eſt potentia omnium penitus formarū expers, diuideretur; ab hoc poſtremo exorſus eſt, ut familiarem ſibi Naturæ ordinem ſequeretur, quæ à minus perfectis ad perfectiora ſemper progreditur. De eiuſmodi verò intellectu duo ſibi proponit inueſtiganda, nimirum quæ ſit natura & ſubſtantia intellectus noſtri; deinde, quo pacto cùm in rerum, quę materia implicantur, cùm in earum, quæ ab hac ſeiunctæ ſunt, contemplatione verſetur. Porrò cum quæſtionem priorem abſoluit, ab intellectus obiecto non orditur, ut in cęteris Animę viribus explicandis ab eo factum eſt; quoniam hoc eſt difficillimum cognitu, ipſoq; intellectu nobis ignotius: ſed media intellectus operatione deducit nos in ſubſtantiæ ac naturæ illius cognitionem. Quoniam verò intellectus actio ſimillima eſt ſenſus operationi, & ſicut ſenſus ad ſenſibilia, ita ſanè intellectus ad intelligibilia ſe habet,

propterea

propterea Philoſophus ex ſenſus actionis, cum ea, quæ intellectus eſt, comparatione, tanquam ex firmo ſtabiliq; fundamento, terminat & concludit veram & propriam naturam intellectus Potentia. Ita vt rectè cenſere poſsis, à ſenſu huiusq; operatione nobis valde perſpicua vniuerſam hanc intellectus noſtri proficiſci notionem; ac in re multum obſcura & perdifficili cognitu nulla potuiſſe Philoſophum maiori declaratione vti, ac facilitate docendi. Conſideremus igitur diligenter, qua ratione ſubſtantia & natura intellectus ex conſimili huic ſenſus operatione nobis innoteſcat. Atq; ut præclaram Ariſtotelis methodum, quoad eius fieri poſsit, oſtendamus, ad ſingularem aliquem ſenſum, veluti ad oculum, recurramus, cum iſtoq; comparemus intellectum: ita enim facilè cuncta ea eliciemus, quæ ad naturam intellectus pertinent, & huic attributa ſunt à philoſopho generaliter conferente intellectus actionem ſenſus operationi. Sanè oculus, ut ex ii. Animæ commentario percepimus, cum oculorum omnium iudicium ferat, eiuſmodi naturam habere videtur, vt eorum ſpecies recipere valeat, eaſq; recipiendo neſcio quodam afficiatur modo; quæ quidem affectio nō paſsio, ſed potius eſt appellanda perfectio. Quare antequā colorum ſpecies ſuſcipiat, à colore diuerſus eſt, ac potentia ſpecies: ſpecie verò ſuſcepta colori ſimilis euadit. Præterea, cum colorum omnium ſpecies recipere debeat nullo penitus colore depictus eſt; quoniam color, & eiusdem ſpecies omino non differunt, ut ſepæ aliàs, ac præcipuè ex tertii de Anima CXLVIII. contextu didicimus. Ita me hercle, ut oculus, intellectus noſter ſe habet. Cum enim ſit ille, cuius intereſt rerum intelligibiles formas percipere, eas ſuſcipiendi facultatem habet. Atqui eas dum ſuſcipit, tantùm abeſt, ut vlla afficiatur paſsione, ut potius valde perficiatur. Quare, vt etiam ſenſus, dicitur impatibilis, ea nimirum ratione, quòd inter operandum nullum contrarium abiicit, ſed perfectionem conſequitur. Idem quoq;, ut oculus, antequàm intelligibilem formam recipit, eſt eiusdem formæ diſsimilis, ac eadem ſolùm poteſtate, non actu; cum enim paulò poſt

eam ſuſceperit, actu ſpecies, & ei ſimilis redditur. Tandem (& hæc eſt potior, ac magis optata conſequentia) cum intellectus noſter omnes intelligibiles formas recipere debeat, immo, vt rectius loquar, cum omnia debeat fieri intelligibilia, omni forma & actu omnino priuatus eſt, & ſecundum naturam propriam ſolùm pura eſt nudaq; poteſtas. Etenim ſi aliqua forma exiſteret, quomodo eſſet intelligibilium formarum diſsimilis, antequàm eas reciperet, & quo pacto cæteras, & omnes formas diceretur poſſe recipere? intus enim exiſtẽs prohibet, ne ingrediatur externum; cuius eſt ratio, quoniam id, quod recipitur, actus eſt recipiẽtis: duo autem actus perſiſtere ſimul nequeunt. Quamobrem Ariſtoteles ex ijs duobus veris antecedentibus, videlicet, quoniam intellectus, antequam percipiat intelligibiles formas, ab eis diuerſus eſt, & quia omnes intelligibiles formas debet percipere, infert in iiii. contextu, neceſſarium eſſe, ut ſit penitus omni forma ſpoliatus: inquit enim. *Neceſſe eſt itaq;, quoniam omnia intelligit, immixtum eſſe, ſicut dicit Anaxagoras, ut ſuperet, hoc autem eſt, ut cognoſcat: nam alienum iuxta apparens prohibet, atq; ſeiungit.* Quoniam omnia intelligit intellectus, nempe in materiam immerſas, & abſtractas formas eum neceſſe eſt, quò eas intelligat, immixtum eſſe, hoc eſt, & omnibus formis abſtractis, & cunctis eis, quæ materia implicantur, ſpoliatum ac denudatum eſſe. Cum inquit Philoſophus, *quoniam omnia intelligit*, vel de formis tantùm in materiam immerſis, vel de abſtractis, vel de vtriſq; ſermonem habet. Si de vtriſq; loquatur, propoſitum meum ſum conſecutus: ſi abſtractas ſolùm intelligat adeò, vt intellectus noſter forma abſtracta eſſe nequeat, ſed benè materia implicata eſſe poſsit, quomodo deinde cęteras materiatas formas intelliget, ſi materiatæ formæ, quatenus formę, ſpecie non differant? ſin autem ea verba Philoſophus pronunciarit de corporeis & caducis formis, ut intellectus debeat ab omni materia ſeiungi; attamen eſſe queat forma ſeparata, ſimiliter haud poterit reliquas abſtractas formas intelligere: quoniam intellectus noſter recipiendo ſpecies intelligit, vt ſupra monſtrauimus, atq; iterum

magis

magis à nobis confirmabitur. Sed præter hæc tota ruit ſimilitudo, quam ſtatuit Ariſtoteles inter ſenſum ac intellectum inueniri; quę profectò magnifacienda eſt, cum ſit huius loci potiſsimum fundamentum. Oculus quippe, ut diximus, quia debet colorum ſpecies recipere, omnis expers coloris eſt: ita etiam intellectus, cum omnes intelligibiles formas recipere debeat, neceſſe eſt, ut quacunq; omnino forma priuetur. Et quanquam oculus, ac cæteri ſenſus ſecundum ſe actus & formæ ſunt; dicantur autem eſſe in potentia, quatenus obiecta propria reſpiciunt: non ob id tamen, intellectum formam & actum eſſe à nobis ſtatuendum eſt: ſenſus enim ex natura propria ſunt formę & actus: quippe qui inſtrumenta præcipua informant: atqui intellectus nullam habet corporis partem, quæ eius ſit inſtrumentum, ab eoq; cõformetur. Et Ariſtoteles quãdo ſenſui contulit intellectum, ea ratione ſenſum conſiderauit, qua refertur ad ſenſibilia, & ea recipit. Nullus autem mihi occurrat, ſi intellectus, quòd omnes intelligibiles formas recipit, quocunq; priuatur actu, eadem etiam ratione, cum materiam primam, quæ eſt nuda potentia, ac item aliquando intelligat ſe ipſum, quatenus naturam ſolùm poteſtatis habet, neceſſe eſſe, ut ab omni potentia ſeparetur: ſiquidem intellectus noſter materiam primam non comprehendit, quòd ab illius ſpecie moueatur (materies enim ex ſe ignota eſt) ſed eam tantum analogia proportionis, atq; tranſmutationis ratione, quę eſt actus, intelligit. Quo quidem obliquo & non legitimo argumento etiam percipit ſe ipſum, quatenus hic tantùm naturam poteſtatis habet, quemadmodum infra à nobis declarabitur. Quamobrem intellectus noſter ab omni potentia minime debet eſſe ſeiunctus (neq, enim in natura rerũ inueniretur, cum nihil omnino eſſet) ſed eſt actu ens nulla præditum forma eandem potentiæ naturam habens, quam materiæ primæ tribuimus. Verùm, ut clariſsimè pateat, quam nunc defendimus, propriam ac germanam Ariſtotelis eſſe ſententiã, ſequentia ipſius verba ſubiungimus, Ariſtoteles, cum in contextu iiii. ex eo antecedente, quòd intellectus noſter om-

nia comprehenderet, illud conſequens intuliſſet, neceſſe eſſe, eum immixtum fore, & ab omnibus formis ſeparatum, iterum ex hac concluſione alteram deducit, quæ apertius quidem ac planius naturam Potentia explicat intellectus. *Quare neq; ipſius ulla aliqua eſt natura, niſi hæc, qua poſsibilis eſt. Vocatus itaq; Animæ intellectus (dico autem intellectum, quo intelligit, & exiſtimat Anima) nihil eſt actu eorum, quæ ſunt, antequàm intelligat.* Viderint iſti, qui, intellectum noſtrum formam abſtractam eſſe, ita acriter defendunt, an de forma ſeparata verè & conuenienter hęc verba pronunciari poſsint, nempe, ut nullam aliam naturam habeat præter eam, qua ſit poſsibilis, & nihil ſit actu eorum, quę ſunt, antequàm intelligat. Profectò tantùm abeſt, vt eiuſmodi verba de abſtracta forma proferri poſsint, vt valde potius naturam illius deſtruant: ſeparata enim forma ſecundum naturã propriam eſt actus, neq; potentia dicitur; & cuicunq; eam rei contuleris, nunquam poterit actus naturam amittere. Fruſtra etiam laborat Simplicius in ea particula, *Neq;*, interpretanda, abſq; ratione immutat poſitionem verborũm, indigniſsimè totam Philoſophi ſententiam lacerat. Sanè illa particula, *Neq;*, ad quoddã alterum refertur, quod item ſolùm potentiæ naturã poſsideat; atq; hoc nihil eſt aliud, quàm prima materies: ſiquidẽ intellectus noſter eſt materiæ primę valde conſimilis: nam, ut materia prima nulla ex ſe forma ſenſibilis; ita intellectus noſter omnis formę expers in genere intelligibiliũ ſit omnia; & ideo materialis ab Alexandro ſæpe dicitur intellectus, ac materia rerũ intelligibiliũ, ut altera ſenſibilium materies appellatur. Atq; intellectus noſter tantã habet ad materiam Primã ſimilitudinẽ, vt nulla quæuis alia duo ſimiliora inter ſe reperiri poſsint. Nam, ut prima materies omnes ſenſibiles formas in ſua cõtinet poteſtate, nullam omnino iſtarũ poſsidens actu; ſed eas deinceps actu conſequitur, cũ efficiens cauſa ex illius potẽtia eas educit in actũ: ita intellectus noſter nulla eſt actu forma intelligibilis, ſed potẽtia oẽs; quarum ſit ſingulę actu, quòd phantaſmata ab intellectu Agẽte illuminata ex huius poteſtate ad actum illas ſimiliter deducant. Talem igitur vult,

vult, eſſe Ariſtoteles naturam intellectus noſtri. Neq; enim hîc pro intellectu intelligentiam aliquam, vel Agentem intellectum, ſeu phantaſiam, quæ aliquando vocata eſt intellectus, accipere poſſumus: quippe quòd ſermo eſt de humano noſtroq; intellectu, quod eis verbis notauit philoſophus, *dico autem intellectum quo intelligit & exiſtimat Anima*, hic nempe humanus noſter intellectus nihil eſt actu eorũ, quæ ſunt, antequam intelligat. Dixit, *eorum quæ ſunt*, ut omnia excluderet actu intelligibilia, quod idem infra XVIIII. contex. apertius iterum confirmauit; quò, ſiquis nollet aſſentiri litigioſus & pertinax, clariſsimè illius ſententiam perſpiceret, inquit enim. *Atq; intellectus, potentia quidem, eſt quodam modo intelligibilia ipſa: actu uerò nihil eſt eorũ antea, quàm intelligat ipſe. Oportet autem in ipſo nihil eſſe, atq; in tabula, in qua nihil eſt actu ſcriptum antea, quàm in ipſa ſcribatur: hoc enim in ipſo fit, atq; accidit intellectu*. Pulcherrimè confertur intellectus noſter ei aptitudini ad characteres recipiendos, quæ in tabula raſa deprehenditur, & non tabellę præparatæ, quod voluit Auerroes, qui hac in parte dum accuſat ſummum interpretẽ Alexandrum, Ariſtotelem pariter, ac Theophraſtrum reprehendere coactus eſt. Aptitudo enim & potentia duobus modis conſiderari poteſt: altero quidem capitur modo pro priuatione innuente ſubiectum aptum ad recipiendam formam, quę quidem potentia adueniente actu deſtruitur, quoniam actui contraria eſt. Sed altera deinde ratione per potentiam, & aptitudinem intelligimus vim, facultatẽ & naturã quandam ad patiendũ aptam; quæ ſanè adueniente actu non deſtruitur, ſed eo perficitur, qualis potentia videndi ambulãdi, & cętera eiuſdem generis dicuntur. Etenim hęc potentia ſi ab actu deſtrueretur, illud ſequi, neceſſe eſſet, vt videremus, cum minime iſtud efficere poſſemus. Atq; eiuſdem modi potentiam vult Ariſtoteles, eſſe intellectum noſtrum, quoniam nullum ante obtinet actum, quàm intelligit: & eadem de cauſa deliciæ meæ Alexander dixit, hunc ſimilem eſſe magis pręparationi, quàm tabellæ præparatæ, cum hęc ſit quoddam actu compoſitum. Porrò hęc potentia non eſt ea,

quam

quam Ariſtoteles. in ſecunda Qualitatis ſpecie collocauit: ſed enim illa eſt accidens, & agendi quædam facultas. Atqui potentia, de qua nunc loquimur, dicitur patiens, & natura quędam potens, ac ſubſtantia ad patiendum apta, qualis eſt prima materies, & hic intellectus noſter. In ſubſtantię quippe genere patientem collocari potentiam, ex primo Phyſicorum, ac VII. Diuinę Philoſophię libro manifeſtò collegimus præter Auerroem, qui in libello de ſubſtãtia Orbis aſſeuerauit, materię primę ſubſtantiam in ipſa tantùm potentia conſiſtere. Etenim cum materia prima omnes ſenſibiles formas recipere deberet, neceſſariò ſecundum eſſentiam (ſi mihi uti liceat tritis & vulgatis verbis Latinorum) poteſtatem obtinuit; quę deinde cęteris rebus (ut iterum aiunt) per participationem atq; per accidens aduenit: quippe illa, quæ aſsiduè variant ac permutantur, ea ſola ratione patiuntur iſtud, quod materiam primam participant. Quamobrem hoc in loco Simon Portius, Philoſophus alioqui grauiſsimus, in maximum errorem delapſus eſt, cum intellectũ Poſsibilem Animę noſtrę accidens & proprietatem ex Ariſtotelis ſententia decreuerit, eumq; ſeiunxerit à numero ſubſtãtiarum. Siquidem cum Philoſophus ſemel, bis, atq; iterum hunc Animæ noſtræ partem vocauerit, minime ambigendum erat, an ſubſtantia eſſet, cum ſubſtantię partes ſubſtãtię ſint, & non accidentia. Nam prętermitto eundem Philoſophum, qui quarto de Partibus Animalium cap. x. ſubſtãtiam hunc appellauit dicens. *Solus enim animalium homo erectus eſt: quoniam eius natura, atq; ſubſtantia diuina eſt: officium autem diuini eſt intelligere atq; ſapere.* Porrò Philoſophus in primo cõtextu particulam potius Animę, quàm partem ſatis ingenioſè vocauit intellectum: propterea quòd mens humana non eſt in earum numero rerum, quæ ſint actus, vel vllo perficiãtur actu: ſed in eorum ordine collocatur, quæ omni forma ſpoliantur, entia quidem manca quodam modo, & imperfecta. Cæterùm hęc potentiæ ſpecies, quam dicimus eſſe ſubſtantiam, totum non modò intellectum noſtrum complexa eſt; ſed aliorum quinetiam intellectuum partem occupauit.

pauit. Idem propè in ordine intellectuum animaduerti poteſt, quod materię ſenſibili, & eis omnibus, quibus cum illa communicatur, euenire paulò ante monſtrauimus. Etenim in genere intellectuum duo, qui extremi ſunt, ſimplicem naturam habent: quippe Deus Opt. Max. eſt puriſsimus actus ab omni penitus materia, & potentia ſeparatus, & ſolùm ſe ipſum intelligit. Contra verò intellectus noſter pura eſt nudaq; poteſtas: reliqui inter hos medij ex potentia, & actu componuntur: propterea quòd cęteris omnibus natura intellectus poſsibilis magis, & minus admiſcetur; propter quàm in intelligentiis reperitur multitudo, & maioris, minoriſq; diſtantia nobilitatis. Profectò niſi hoc potentiæ genus in illis exiſteret, omnes eſſent puriſsimi actus, & æquali omnes præditę perfectione, nec vllo pacto multiplicatę eſſent. Hæc verò potentia, quę abſtractarum, ac beatarum mentium compoſitionem ingreditur, non eſt ea potentia logica, quæ in illis ab omnibus eſſe conceditur; ſed eſt realis (vt ita loquar) poteſtas, quæ pręter logicam neceſſariò poni debet in intelligentiis, quæ aliud extra ſe contemplantur. Siquidē cum id, quod intelligit, & id, quod intelligitur, reperiatur in illis, & hæc duo res verę exiſtant, nec non ex ijs componantur intelligentię, neceſſe eſt fateri, veram eſſe potentiā, nō logicā, quę in re intelligente collocatur. Vera igitur, ac reali potētia, nedū logica & comētitia, participes facti ſunt diuini intellectus: ſed mens humana omniū infima adeò ꝑ eā diſperſa eſt, ut illā ſecundū eſſentiā receperit; ac propterea (quod ſæpe, ac ſępius diximus) eam ſolùm naturā habeat, qua omnes intelligibiles formę poſsit euadere. Hęc me hercule ſententia Ariſtotelis adeò plana & aperta eſt, vt, ſi aliàs obſcurè & breuiter opinionem propriam attulerit, hac in re planius, & apertius loqui non potuiſſet. Quamobrem cætera Ariſtotelis dicta ſatis bellè & optimè ad hanc noſtram interpretationem accommodantur. Quippe Philoſophus in vi. con tex. eundem intellectum noſtrum aſſeruit, nulli corpori, & organo admiſtum eſſe: quod nulla alia ratione euenit, niſi, quia, ſi corpori admiſtus eſſet, & organo, aliquid ſecundum

actum

actum exiſteret,& ita reliquas formas deinde recipere non poſſet. Eodem ſimiliter contextu intellectum noſtrum ex Platonis ſententia cum loco comparauit, non quia, ut locus locata corpora, ſic intellectus ſpecies conſeruet intelligibiles; ſed ea nimirum de cauſa, quoniam, vt locus locata recipit corpora,& caret omni corpore, ita intellectus ſpecies intelligibiles ſuſcipit, omniumq; expers eſt. Eadem propè ratione Philoſophus in xxxviii. contextu intellectum noſtrum manui ſimilem eſſe dixit: propterea quòd, vt manus fit enſis, malleus, ſecuris,& omnia quæcunq; organa & inſtrumenta reperiuntur (etenim manus ea ratione organum organorum dicitur; quòd in ea, quibus vtitur, organa conuertatur) ſic intellectus noſter ſpirituali quadam ratione (latini ita loquuntur interpretes) fit lapis, arbor, animal, homo,& omnes cęterę intelligibiles formę. Neq; hîc aliquis putet, falſam eſſe eiuſmodi explicationem meam; quòd eodem loco Philoſophus humanam mentem ſpecierum ſpeciē vocauerit: quippe qui eam ita non appellauit, quoniā hæc ſit aliqua ſpecies & actus, cum nihil ſit actu eorum, quę ſunt, antequàm intelligat; ſed quoniam poteſt omnes intelligibiles ſpecies euadere. Porrò altera, ac ſubtiliori quidem ratione mihi occurri poſſet, primū, quomodo intellectus noſter, ſi ſit pura ſimplexq; potentia, ſub definitione Animæ collocabitur, quam corporis actum Philoſophus eſſe, determinauit: deinde, qua ratione in nobis exiſtere poterit, cum omne, quod exiſtit, aliquo actu exiſtere dicatur. Ad priorem reſpondeo difficultatem, illā Animæ definitionem cuicunq; animæ vniuocè non conuenire. Nam, ut rectè inquit Alexander, pluribus rebus, quarum nonnullæ ſint perfectiores, quædam verò ignobiliores, communem definitionem euidētem quidem ac certam afferre non poſſumus. Intellectus verò noſter, perinde vt nauta nauis, actus dicitur corporis: quippe eſt animati corporis actus, cum illud ſit, cuius ratione agimus, videlicet intelligimus, & exiſtimamus, ut nauis gubernator eſt in cauſa, qua nauis mouetur, rectumq; conficit curſum. Hac equidem ratione eū locum xi. contextus

in ſecundo

in ſecundo de Anima commentario exponendum puto. Ita verò alter nodus à me diſſoluitur. Quemadmodum prima materies, quæ ſecundum ſe ipſam potentia eſt; ratione formæ actu in compoſito exiſtit: ita etiam intellectus noſter, cũ ſit totius humanæ animæ particula, quæ eſt corporis actus, exiſtit actu illius beneficio: qui nihilominus ſecundum naturam propriam nuda eſt poteſtas ei aptitudini ſimilis, quam in tabella, in qua nihil actu ſit ſcriptum, comprehendimus; & idcirco nullius dicitur eſſe corporis actus, neq; alicui affixus eſt organo, quod informet. Ex quo factum eſt, vt ſimplex, immixtus, ſeparabilis ab Ariſtotele fuerit nuncupatus; & etiam à ſenſu differat, quòd à vehementiori obiecto magis perficitur, cum ſenſus valde potius lædi videatur. Ex qua porrò ſimilitudine, quam intellectus noſter habet cum prima materia, pro confirmanda indiſſolubili eius cum reliquis partibus animæ ſocietate, illud deducere potes, quod aliàs Auerroes de eadem materia prima ſatis doctè, ac ingenioſè pronuntiauit. Etenim intellectus noſter, qui ſecundum naturam propriam pura eſt poteſtas, ſi vnquam ſeiungeretur à corpore, ac cæteris partibus Animæ, quarum beneficio exiſtere dicitur, illud ſanè, quod per ſe potentia eſt, per ſe actus efficeretur. Quod adeò abſurdum eſt, ut nullo pacto mente noſtra, aut cogitatione percipi poſſit. Non me latet, quædam alia Ariſtoteles dicta primo aſpectu huic explicationi meæ repugnare: ſed hæc, ne ſermonem meum confundere ac perturbare videar, in ſequenti libro perpendam ſingula diligenter. Nunc illud certum, firmum ratumq; habere debemus, naturam intellectus noſtri, quam primùm ille ab ortu ſuſcipiat, puram eſſe, ſimplicemq; potentiam omnis formæ expertem & actus. Quod cum ſatis ſuperq; à nobis demonſtratum fuerit, reliquum eſt, ut videamus, qua ratione mens noſtra fiat ſecundum actum, & perfectionem propriam adipiſcatur.

I De

DE INTELLECTV SECVNDVM *actum.* *Cap.* VII.

INtellectus noſter, qui omnium formarum expers, & omnino rudis ac ignarus nobiſcum exoritur, poſtquam ætate adoleſcente phantaſię pueri nimia humiditas adcò exiccatur, ut phãtaſmata, quæ ſunt rerum imagines intrò ab externis ſenſibus delatę, retinere poſsit, tunc incipit exornari actu, & aliquarum rerum adipiſci notionem. Antea verò nihil poteſt agnoſcere: quoniam virtutes Animę tali ordine Natura diſpoſuit, ut inferiores ſuperioribus inter operandũ ſubminiſtrent. Quamobrem præſtantiores quicquam agere nequeunt, niſi prius ignobiliores propria munera exequãtur. Et idcircò intellectus noſter ex ſe proprio fungi ufficio nequaquam poteſt, ſed ſemper indiget auxilio phantaſmatum, à quibus commoueatur: phantaſmata enim contemplando rerum formas, quæ in eis reſident, percipit, & tunc pariter ſe ipſum intelligit: nã intelligendo alia ſe ipſum per accidens cognoſcit, quia fit res intellecta. Quod ſi tantum ultra progrediatur in cõtemplatione phantaſmatum, ut modò hęc, modò illa intelligendo ſingula factus ſit, nomen abijcit Poteſtatis, & alterum ſcientis. & intellectus ſecũdum actũ conſequitur. Tunc enim cum ſingula factus eſt, par & ſimilis ſciẽtis hominis euaſit, veluti Geometræ. Siquidem, ut hic, quotiescunq; ei placuerit, Geometriam exercere poteſt; ita porrò & intellectus noſter tunc à ſe ipſo agere & operari valet. Ea ratione verò ſingula factus eſſe, dicitur intellectus noſter, cum ſingulares, & vniuerſales rerum formas perceperit. De qua re infra tractabimus, & oſtendemus præter aliquorum ſententiam, ſingulare quinetiã ab intellectu noſtro comprehendi. Hic igitur actus, ſiue habitus, propter quem interpretes Ariſtotelis intellectum in habitu vocarunt, cum eum potius Philoſophus intellectum κατ' ἐνέργειαν appellauerit, nihil eſt aliud, quàm forma & perfectio intellectus, qui materialis & potentia, ſeu Poſsibilis dicitur. Qui ſanè habi-

ctus & perfectio, quanquam intellectui tribuitur; non debemus tamen exiſtimare, eam ab intelligibilibus formis proficiſci, quæ à Materiali, ſeu Potētia intellectu ſuſceptæ in eo deinde iaceant, quieſcant, ac veluti in penu cōſeruentur; quod pleriq; latinorum, nec non Themiſtius, & ipſe pariter Alexander meus exiſtimarunt. Qui omnes decepti ſunt iis duabus præſertim rationibus; prior eſt, propterea quòd memoria ſenſus tantùm, & non intellectus eſt paſsio, ut in libello de Memoria apertiſsimè declaratur; quam cum etiam tribuant intellectui, mancum, mendacemq; reddunt Ariſtotelem. Altera verò eſt ratio: quoniam, cum intellectus noſter, qui ſecundum ſe pura potentia eſt, omnem actum ab intelligibili forma ſuſcipiat, ſi eiuſmodi formæ ac ſpecies intellectu remanerent, plures formæ eodem ſimul tempore [illegible] idemq; ſubiectum perficerent. Igitur [illegible] in habitu, vel ſecundum actum fieri intellectum noſtrum exiſtimemus. Cum enim ex frequenti doctrina, ac longo ſtudio, & exercitatione phantaſia omnibus phantaſmatibus imbuta fuerit, illaq; firma diſtincta, ordinata (hic enim eſt plurimi faciendus ordo) adeò cuſtodierit, ut intellectui, quādo fuerit opus, obijciat, tunc intellectus noſter dicitur eſſe ſecundum actum, & per ſe ipſum operari poſſe: quia mouēs eſt quodam modo in Anima, nempe in phantaſia, quæ eſt Animæ pars, ut rectè eum locum L X. contextus in ſecundo de Anima libro Auerroes interpretatur. habet enim tunc intellectus noſter phantaſiam, tanquam ſibi apertum librum, quem legere ſemper poteſt, quando ei libuerit. Porrò nūquam in Ariſtoteleis libris inueneris, intellectum noſtrum adeò perfici, ut phantaſmatibus non indigeat, ac naturam abijciat poteſtatis: quippe huic quancunq; rem, & quouis tempore intelligere velit, ſemper opus eſt illius phantaſma contemplari, quod pariter à phantaſia comprehendi debet, & eſſe in actu. Hoc ſummopere aduertendudum eſt: quoniam, modò aliam rem, & potius hanc, quàm illam, intellectus noſter apprehendat; neq; poſsit niſi vnius rei vno eodemq; tempore incumbere intellectioni: propterea quòd

modum & normam phantaſiæ cognoſcentis ſemper inſequitur. Etenim circa leonis ſimulachrum ſi verſabitur phantaſia, intellectus nō poterit hominem intelligere, ſed leonem; quod idem affirmandum eſt de cæteris rebus. Et ſi intellectus noſter aliquando animal moueri percipiat, hæc duo, ut vnum comprehendit, cum ex prædicato vnum, ſubiectoq; conficiat. Diximus etiam, intellectum noſtrum potentiæ naturam nunquam amittere: propterea quòd, quando dicitur eſſe ſecundum actum, item adhuc potentia eſt quodam modo, inquit Ariſtoteles; tametſi non eſt talis, qualis ante erat, quàm didiciſſet, vel inueniſſet. Tunc quidem potentia eſt, ſed minus ab actu remota, cum facilius in actum deſcendere valeat: quòd phantaſiam habet refertam imaginum, ſibiq; eo modo, quem diximus, præparatam, nec vllo præceptore amplius, vel exercitatione indiget. Sed ex hac noſtra declaratione forſitan occurrat illud, ſi formæ, & ſpecies rerum, propter quas intellectus in habitu vocatur, in phantaſiæ organo, tanquam in ſubiecto proprio extiterint, perperam Ariſtotelem in Ethicorum libris in duo genera habitus diuiſiſſe, & eorum quoſdam in ſenſu, quoſdā verò in intellectu collocaſſe. Quod non eſt ita: ſiquidem ibi Philoſophus virtutes intellectiuas in mente noſtra repoſuit non, quia in ea, veluti in ſubiecto proprio reſiderent (ita enim fundantur in organo phantaſiæ) ſed quoniam in illius vi ac poteſtate collocantur, & ab intellectu, vt in initio ſecundi Ethicorum ſcribitur, doctrina, & longo experimento comparantur, iſtaſq; ad eum pertinet exercere: quemadmodum illæ, quæ Morales dicuntur, ex altera parte in appetitu gignuntur ex conſuetudine, & ab eo ſimiliter exercentur. Neq; verò alicui mirum videri debet, quòd intellectus noſter, cum ſit imaginatione nobilior pręſtantiorq; facultas, ſimulachra rerum, & formas reſeruare nequeat; propterea quòd iſte, cum nullam habeat determinatā corporis partem, quæ informetur ab eo, ac ſecundum ſe non ſit actus, ſed pura ſimplexq; potentia, quæ ab intelligibilibus tantùm rebus in actum deducitur, plures in ſe ipſo formas conſer-

uare

uare nequit. Phantaſia verò tametſi ea ratione, qua phantaſmata reſpicit, dicatur eſſe potentia; ſecundum ſe tamen eſt actus & forma, & organum habet proprium (ſiue iſtud cor, ſiue quid aliud extiterit) quod informatur ab illa, atq; perficitur. Quò circa ſatis commodè, & bellè ſanè multæ variæq; rerum imagines & ſimulachra, quæ intrò à ſenſibus deferuntur, in ipſa, vel eius organo conſeruari poſſunt. Cum igitur intellectus noſter (ut vltimam propoſitæ rei partem explicemus) ſecundum actum, atq,, ut homo ſciens, euaſerit (quem ſolum eruditi ac ſapientes viri ſummis laboribus, & ſtudiis conſequuntur) tunc ſupra naturam propriam ſe ſe poteſt reflectere, & ſe ipſum comprehendere, ut naturam tantùm puræ ac ſimplicis potentię habet. Eiuſmodi quippe notionem, cum ardua ſit ac perdifficilis, prius quàm ille habitum acquiſiuit, aſſequi nequaquam poteſt. Tunc verò ad eam peruenit Syllogiſmo ab immutatione ſumpto eo præciſę modo, quo materiæ primæ notitiam conſequitur; quippe qui ſe ipſum intelligentem factum eſſe animaduertens, cum antea rudis ac ignarus eſſet rerum omnium, & modò hanc, modo illam rem intelligere, ſeq; facultatem obtinere intelligēdi omnes formas, ſe ipſum profectò ſecundum vim & naturam ſuam nudam puramq, potentiā eſſe comprehendit. Hanc me hercule cognitionem Philoſophus intellexit, cum in fine viii. contextus inquit. *Et ipſe autem ſe ipſum tunc poteſt intelligere.* Accipiunt ferè omnes Latini, & Græci interpretes exponendo notitiam illam, quam ſui ipſius habet intellectus noſter, dum alia percipit. Quæ quidem vana eſt, ac friuola interpretatio: ſiquidem intellectus noſter ſemper neceſſariò ſe ipſum intelligit cætera intelligendo non modò, cum factus eſt ſecundum actum; ſed etiam antequàm ſcientis habitum aquiſierit. quippe qui intelligens fit res intellecta; & ideo per accidens, quatenus in actu eſt, pariter ſe ipſum intelligit. Quapropter, ſi de eiuſmodi intellectione locutus eſſet Philoſophus, vtiq; nō dixiſſet, *Et ipſe autem ſe ipſum tunc poteſt intelligere,* verùm ita ſanè ſcripſiſſet, & ipſe neceſſariò tunc ſe ipſum intelligit: quod tamen adhuc ea, quam dudum

attulimus

attulimus, ratione inaniter dictum fuiſſet. Porrò interpretes Ariſtotelis, cum hanc ignorauerint cognitionem, quam intellectus noſter ſcientis habitum adeptus ſui ipſius conſequitur, non cum eſt in actu cætera intelligendo; ſed quando in natura propria permanens poteſtatis, percipit quoq; ſe ipſum, ac intuetur, ut naturã ſolùm puræ poteſtatis habeat; iterum valde hæſitauerunt, variaq; pronuntiarunt in afferenda cauſa, propter quam intellectus noſter ſemper non ſe ipſum intelligit: quæ tamen ſatis clara & aperta mihi quidẽ videtur. Etenim intellectus noſter haud poteſt ſe in omni tẽpore ſupra naturam propriam reflectere, propterea quòd ſemper non eſt intellectus ſecundum actum, videlicet, non ſemper factus eſt ſingula, neq; ſcientis habitu exornatus eſt, quem ſumma difficultate, ac labore conſequitur. Nam eo tantùm tempore, cum illum acquiſierit, in potentia adhuc exiſtens, ſe ipſum quoq;, ut naturam potentiæ ſolùm obtineat, percipere ac tenere poteſt. Hic verò ſi quis ambigeret, quo modo intellectus noſter ſe ipſum hac ratione comprehẽdere queat, cum nullo pacto eius ſimulachrum in phantaſia gignatur, quam ſemper ei, cum intelligit, opus eſt intueri; reſpondemus, non omnia, quæ intelliguntur, neceſſe eſſe, vt propria ſpecie ſub ſenſibus cadant: ſed ſatis aliquando eſſe, ſi eorum effectus, aut contraria, vel etiam eorum quid ſimile à nobis ſentiantur. Cum igitur intellectus noſter ſit materię primę valde conſimilis, quemadmodum hæc intelligitur, quoniam ſub ſenſu cadit ea proportio, quam ad materiã artificiorum habet: ita ille poteſt ſe ipſum agnoſcere, ut naturam ſimplicis potentiæ ſolùm poſsideat: quoniam materia prima, quæ huius eſt naturæ ſimillima, ſenſum ac phantaſiam mouet ea analogia, quam diximus. Et ita intellectus ſenſui, ac phantaſiæ ſubiicitur: quoniam aliquod huic ſimile, nempe prima materies excitat ſenſum, ac phantaſiam.

Qua

QVA RATIONE INTELLECTVS SINGVLA *euadere dicatur, & quid ſit eius obiectum proprium, atq; ut ſingulare etiam ab eo percipiatur.* Cap. VIII.

POſtea quã Ariſtoteles, natura intellectus poſſibilis explicata, oſtendit nobis, ut idem ſingula poſsit euadere, ac fieri intellectus ſecundũ actum, quamprimum in viiii. ac x. contextu nos docet, qua ratione ſingula euadat intellectus noſter; vt mirum ac præclarum ordinem videas, eoq; dignum Philoſopho, qui ſolus inter omnes Græcos bonarum artium, & Philoſophiæ grauiſsimus verè author ac magiſter nuncupari poteſt. Cum igitur inter ea, quæ ab intellectu noſtro comprehenduntur, quædam ab hac tumultuoſa materia ſeparata exiſtant, nonnulla in eam immerſa ſint, quando hæc omnia perceperimus, tunc ſanè intellectus noſter ſingula euaſiſſe dicitur, ſimilisq; hominis ſcientis eſſe. Ea verò, quæ materia ſunt implicata, quoniam quędam ſunt compoſita, quædam ſimplices eiuſmodi compoſitorum formæ, hoc eſt, quędam ſingulares, quædam vniuerſales dicuntur formæ, vtraſq; , ſed diuerſa ratione, percipit intellectus: has quidem, quòd ab omni materiæ conditione ſeparantur, & actu intelligibiles efficiuntur: illas autem ea ratione, qua ipſe ſenſui & phantaſię coniunctus eſt. Porrò intellectus noſter, cum nullum ei Natura finxerit inſtrumentum, quod informet, eumq; à mole corporea ſolutum eſſe voluerit, à ſingulari forma materiæ appendicibus inuoluta commoueri nequit. Propterea in vniuerſalem ſpeciem, tanquam in obiectum proprium, ſibiq; congruum defertur. Vniuerſale autem alterum phyſicum, alterum quidem logicum appellatur. Phyſicum nil profectò eſt aliud, quàm cõmunis & vniuerſalis forma, quæ in ſingularibus reperitur, eisq; præbet eſſe: quod ſanè vniuerſale in phantaſmate deliteſcens Agentis intellectus beneficio ſplendeſcit, ſeq; obiicit intellectui noſtro eo modo, quo à nobis infra declarabitur.

tur. Logicum autem vniuerſale, ſiue iſtud ſecundæ intentionis appellare mauis, effectus eſt intellectus noſtri qui ex cōmunis formę, prioris ſcilicet vniuerſalis in ſingularibus reperti, ſimilitudine illud fabricatur. Intellectus verò noſter phyſicum potius, quàm logicum, veluti magis proprium, ac legitimum reſpicere videtur: hoc enim illud eſt, ratione cuius res conſtant, ac perficiuntur, & cuius ſcientia præſertim inquiritur, ac afferuntur definitiones. Sed quanquam intellectus noſter in vniuerſale, tanquam in verum ac proprium ſibi obiectum, fertur; attamen aliquando euenit, ut hic etiam ad ſingulare deſcendat: ſingulare enim percipit, non quia ſingularis ſpeciem ſuſcipiat in ſe ipſum, quoniam hæc ſolùm à ſenſu recipitur; & intellectus noſter, cum nullam corporis partem informet, nulloq; alligatus ſit organo, particulatim nequit ac ſingulariter à rerum imaginibus affici, ſed quoniā ſenſui, hoc eſt, phantaſiæ coniunctus eſt, & ad eam nonnunquam inflectitur. Nempe intellectus ea ratione, qua intellectus eſt, & ab omni corporeo organo ſeparatus, ac in ſe permanet, vniuerſale comprehendit: ea verò de cauſa, qua cū phantaſia connexus eſt, eamq; claudit ac terminat, percipit ſingulare, cuius ſpecies in phantaſię organo recepta eſt. Neq; hoc factu difficile alicui videri debet: ſiquidem Communis etiam ſenſus diuerſorum & contrariorum ſenſibilium ſpecies iudicat eodem tempore, quas non recipit in ſe ipſum; ſed eas iccirco ſimul comprehendit omnes; quòd ad ipſius pedes & genua (ut Themiſtii verbis vtar) iaceant, & ad eum, veluti ad finem ac terminum, omnes delatæ ſint. Hanc ſanè duplicem cognoſcendi rationem intellectus noſtri Philoſophus ſignificauit, cum in x. contex. dixit. *Senſitiua igitur parte calidum diſcernit & frigidum, et quorum eſt quædam ratio, caro: alia verò eſſe carnis diſcernit, aut ſeparabili, aut ſe ſe habente ad ſe ipſam, perinde ac ſe ſe habet, cū extenſa fuerit linea flexa.* Non me latet, viros grauiſsimos quibuſdā adductos rationibus, quę diſtinctione paulo ante allata facilè diluuntur, oppoſitā defendiſſe ſententiā. Atqui ambigere oportet neminem, an ſingulare aliquando ab intellectu noſtro cognoſcatur: multa enim ſunt, qui-

bus

bus conuincimur ad hoc mordicus affirmandum. Primùm ergo, quod inquit Ioannes Grammaticus, niſi intellectus noſter ſingulare comprehenderet, mens noſtra eſſet ſine mente: quoniam non omnia intelligeret, nec ſingula fieri diceretur quod ſupra philoſophus aſſeuerauit. Præterea intellectus, cum ſenſus errata perſæpe corrigat, neceſſe eſt, vt ſingulare, tametſi hoc eſt ſenſus obiectum, cognoſcat: neq; .n. alter fieri poſſent eiuſmodi correctiones. Addas prudentiā, & Artem, quæ ſunt habitus intellectus, vt plurimum in ſingularibus verſari: propterea quòd in earum ſyllogiſmo atq; diſcurſu particularem ſemper minorem efficiunt propoſitionem: immò verò Philoſophus in vi. Ethichorum libro viii. & xii. cap. manifeſtò inquit, ſingularium propriè rerum eſſe prudentiam, quæ experientia nobis innoteſcunt. Quibus deniq; has duas alias ſubiicio efficaciſsimas & planè inexplicabiles rationes. Cum nos communia axiomata, quæ ſunt principia demonſtrationum, ea ex ſingularibus deducendo, formemus, ut in fine ſecundi Poſteriorum libri à Philoſopho docetur; ac præterea inter vniuerſale & ſingulare diſcrimen differentiamq; ponamus; atq; hæc duo munera ſenſui attribui nequeant, quippe qui nullo modo vniuerſale comprehendat, neceſſum eſt, ut ea intellectui demandemus: qui quidem ſine vllius abſurdi conſecutione ſatis bellè & commodè ea ratione, qua Phantaſiæ coniunctus eſt, & huius terminus dicitur, poteſt ſingulare comprehendere, quod ſui ſpeciem in organum Phantaſiæ produxerit. Et quanquam aliqui hac noſtra ætate philoſophantes, viri alioqui ingenioſi, atq; doctiſsimi, hanc poſtremam rationem eò dilui exiſtimant, quòd homo ille ſit, qui inter vniuerſale, & ſingulare differentiam ponat: ij tamen propoſiti nihil aſſequuntur: nam ſi homini propriè effectum hunc tribuerimus; adhuc tamen vna tantùm, & eadem virtute animæ hoc homo exequi debebit. Quare, cum hoc ſenſu nequeat efficere, medio igitur intellectu ſingulare ab vniuerſali diſiunget, & inter vtrunq, differentiam conſtituet.

DE TRIPLICI INTELLIGENDI ACTV, *neq; intellectionem noſtram fieri in inſtanti poſſe; ſed poſtulare ſemper aliquid temporis.* Cap. IX.

QVanquam intellectus noſter ſecundum naturam propriam in vniuerſale, quòd eius obiectum eſt proprium, defertur; ac deinde media phantaſia ea ratione, qua illa coniunctus eſt, ac eius eſt terminus, cum ad actionem potius, quàm ad contemplationem rapitur, aliquãdo etiam ad ſingularis rei notionem deſcendat: attamen non ſemper eodem modo in iſtorum contemplatione verſatur. Siquidem ipſe vel ſimplici comprehenſione res percipit, vel componẽdo & diuidendo ſimplices terminos, vel propoſitiones ex terminis conflatas iterum connectendo eas intelligit. Quamobrem tres intelligendi actus in mente noſtra reperiuntur, Simplicis videlicet rerum comprehenſio, quæ prima cæteris antecedit: terminorum coniunctio, quæ ſequitur: & cõnexio propoſitionum, quæ eſt ipſe diſcurſus, & ratio argumentandi. De quibus ſanè actibus Ariſtoteles à xxi. tertij de Anima contex. vſq; ad xxvi. admodum ſubtiliter & argutè diſſeruit, vt ſecundam principalem partem abſolueret, quam initio tertii ſibi pertractandam eſſe propoſuit. Nos igitur hanc etiam explicabimus partem eodem ordine, & iiſdẽ ferè verbis, quibus vſus eſt Ariſtoteles, ne huius dicta, & ſententias diſtrahere, ac lacerare videamur, quod fortaſſe alii facere non dubitarunt. Intellectus igitur noſter in ſimpliciũ rerum comprehenſione, ut ab hac prima exordiamur, cum indiuiduus ſit, neceſſe eſt etiam, ut eas, quatenus indiuiduæ ſunt, & in indiuiduo tempore percipiat. Res verò ſimplices quoniam plerunque videntur eſſe diuiduæ (immortales.n. ſolæ ac ſeparatę ſubſtantiæ ſecundum ſe, & per accidens expertes ſunt omnis diuiſionis) idcirco perpendamus diligentiſsime qua ratione illas intellectus noſter apprehendat. Porrò ea, quæ quanta ſunt, vt longitudo, quamuis in plures par-

tes

tes ſecundum potentiam diuidua ſint; nihilominus, quia actu ſunt indiuidua, iccirco ea intellectus noſter, ut indiuidua, & in tempore indiuiduo percipit. Quod ſi quantum, ac longitudinem in duas partes ſecauerit, & vtranq; ſeorſum intelliget, pariter ſecauerit tempus, atq; in duobus actu indiuiduis temporibus eas partes, ut duas actu indiuiduas percipiet: tempus enim perinde diuiduum, ac indiuiduum eſt, ut longitudo. Si autem rurſus mens noſtra perceperit longitudinem, quatenus ex duabus partibus conſtituta eſt, & nihilominus actu indiuidua eſt, ita etiam eam intelliget in tempore ex duabus partibus conſtituto, indiuiduo tamen ſecundũ actum. Atq; eiuſmodi quidem ratione ea, quæ quãtitatem habent, & ſunt actu indiuidua, ab intellectu noſtro comprehenduntur. Ea verò, quæ non ſecundum quantitatem, verùm ſecundum formam, hoc eſt, potentia & actu ſunt indiuidua, à nobis intelliguntur, quatenus ſunt indiuidua ſecundum formam, & in indiuiduo tempore, indiuiduaq; mentis intelligentia. Verùm quæ diuidi per ſe poſſunt, cuiuſmodi eſt tempus, ac longitudo, ea percipit intellectus noſter in indiuiduo tempore: quippe aliquod in eis reperitur, quod per ſe indiuiduum dicitur, nimirum punctus, & inſtãs, quæ tempus ac longitudinem reddunt indiuidua. Quę ſanè ideo ab intellectu noſtro comprehenduntur, quòd ſunt per accidens indiuidua; quemadmodum ex altera parte ab eo percipiuntur formæ, quoniam per ſe diuidi nequeunt.

Poſt primam, ac ſimplicem rerum intelligentiam, in quà nulla poteſt contingere falſitas, quoniam vel iſtæ penitus ſciuntur, vel penitus ignorantur, intellectus noſter ſimplices terminos ſimul iungit, & propoſitionem format: prædicatum enim ſubiecto connectens, vnum conficit; atq; vt vnũ, vtrunq, comprehendit. In qua quidem intellectione ſæpe decipitur, quòd omnis falſitas à cõpoſitione, quę in affirmatione, & negatione conſpicitur, initium ducat. Tertius ac vltimus ſequitur actus intelligendi, quo mens noſtra iterum propoſitiones, ex ſimplicibus terminis confectas, ſimul connectendo, ac diſcurrendo à re notiori ad alterius minus no-

tę cognitionem progreditur. In quo ſimiliter genere intelligendi ſæpe numero fallitur, cum pro veris frequenter accipiat falſas propoſitiones. Quæ cum ita ſe habeant, nobis perſpicuum eſſe poteſt, quàm longe diuerſa ſit intellectus noſtri à ſuperiorum, & beatarum Mentium intelligentia: eæ nanque perpetuò in ſimplici, ac indiuidua propriæ naturæ contemplatione verſantes, aliarum pariter rerum omnium, quæ extra illarum naturam inueniuntur, obtinent cognitionem, cum cætera omnia in earum eſſentia ſplendeſcant; & nihil vnquam falſitatis apprehendunt. Atqui intellectus ſæpe inter operandum labitur in errorem, falſumq; imbibit, cum ſimplices terminos, propoſitionesq; ſimul connectit: præterea percipiendo alia per accidens ſe ipſum intelligit: & ſi aliquando etiam ſupra naturã propriam reflectitur, id obliquo quodam modo, & niſi poſt multum laboris, & ſtudii conſequitur: ad hæc non ſemper incumbit contemplationi, cum ſępe ab opere vacare coactus ſit. Iſtud verò tandem in intellectu noſtro, quod nunquam intelligentiis euenit, perpetuò verum eſſe deprehenditur. ſiue enim ſimpliciter apprehendat res, ſiue componat & diuidat, ſeu diſcurrat ipſe, determinati aliquid temporis eius poſtulat intellectio, cum in inſtanti vlla intellectus noſtri actio perfici nequeat. quoniam, licet phantaſma in temporis momento ſui ſpeciem producat in intellectum, ut etiam efficit color, eiuſdem tamen ſpeciei functio, quæ intelligentia eſt, absq; tempore abſolui nequaquam poteſt: quod oculo ſimiliter accidit, qui coloris ſpeciem ſuſcipit in inſtanti, & colorem deinde nõ cognoſcit ac iudicat, niſi dederis huic aliquid temporis. Hæc ſententia profectò noua, & mira quibusdam viſa eſt, cum eam aliàs pugnaciſsimè defenderimus cap. VIII. Diſputationis noſtræ, quam contra Ciceronis Academicas ſcripſimus. Quam hoc in loco iterum confirmandam iisdem propè rationibus ſumus arbitrati: quòd Græci & Latini ferè omnes aliter hac in parte Ariſtotelem interpretati ſunt, & ſatis longè ab eius ſententia deſciuerunt. Hic tamen eas tantùm rationes afferemus, quæ ex III. de Anima libro apertiſ-

ſimè

ſimè colliguntur alias ſilentio prætereuntes, quæ loco adducto videri poſſunt explicatas vberius. Intellectionem igitur noſtram fieri in tempore, & non in inſtanti, apertiſsimè demonſtrauit Philoſophus in xxiii. & xxiiii. tertii de Anima contextu, vbi de ſimplici rerum loquitur comprehenſione, in qua potiſsimum tota lis & controuerſia verſatur, cum ibi intellectum noſtrum indiuidua ſecundum actum, indiuidua ſecundum formam, & indiuidua ſecundū accidens in tempore indiuiduo comprehendere aſſeuerauerit. Neq; enim ibi pro tempore indiuiduo inſtans debemus accipere, vt inquiunt omnes interpretes, quoniam ea ſequerentur abſurda, quæ mox oſtendemus. Ariſtoteles in xxiii. contex. demonſtrare nobis volens, quo modo intellectus noſter, qui eſt ſecundum ſe ſimplex, & indiuiduus intelligat ea, quæ dicuntur quanta, nec indiuidua, nec ſimplicia eſſe videntur, inquit, hunc eiuſmodi in tempore indiuiduo poſſe comprehēdere, quoniam actu indiuidua ſunt, qualis conſpicitur longitudo, quam pro exemplo accipit, ac huius deinde rationem dicti reddens ſubiungit, tempus diuiduum, & indiuiduum eſſe æquè, ac eſt longitudo: quippe inquit. *Nihil prohibet intellectum, cum longitudinem intelligit, indiuiſibile intelligere, & in indiuiſibili tempore: eſt enim actu indiuiſibilis: & tempus, perinde atq; longitudo, diuiſibile atq; indiuiſibile eſt.* Iam ergo ſi pro tempore indiuiduo inſtans intellexerimus, qua deinde ratione tempus diuiduum, & indiuiduum erit, vt longitudo? inſtans enim & potentia, & actu indiuiduum eſt. Præter hæc in eadem particula aſſerit Ariſtoteles, ſi duas intellectus longitudinis medietates ſeorſum intelligat, ita quoq; in duas partes actu diuidet tempus. Si tempus indiuiduum, in quo ſupra dixerat percipi longitudinem, inſtans fuerit, quo pacto in duas hic ſecabitur partes, cum inſtans nec actu, nec potentia, ut diximus, in partes ſecari poſsit? perpendo iterum diligenter ea, quæ in particula ſequenti ſcribuntur: quippe Ariſtoteles declarans, qua ratione illud, quod non ſecundum quantitatem, at ſecundum formam eſt indiuiduum, & pariter illud, quod eſt per accidens indiuiduum, ab intellectu no

ſtro percipiatur, vtrunq; horum in tempore indiuiduo comprehendi fatetur dicens. *Quod uero non quantitate, ſed forma eſt indiuiſibile, id indiuiſibili tempore, & animæ indiuiſibili percipit atq; intelligit. per accidens autem, & non hoc ſane, quo illa diuiſibilia ſunt; id, quo intelligit, & tempus, in quo intelligit: ſed hoc, quo indiuiſibilia ſunt: ineſt enim & in his indiuiſibile quoddam, at fortaſſe non ſeparabile, quod quidem unum tàm tempus ipſum; quàm ipſam longitudinem facit. atq; id in omni ſanè continuo, & tempore, & longitudine ſimiliter ineſt.* Si pro tempore indiuiduo inſtans acceperis, nullo modo Philoſophus calumniam effugiet: nam hic Ariſtoteles, cum rationem afferens, qua indiuiduum tempus in quo fit intellectio, & longitudo, quę ſunt per accidens indiuidua, in tempore indiuiduo percipiantur, dicat hoc euenire, quia in eis reperitur aliquod, quod ab eis ſeparari nequit, & per ſe indiuiduũ dicitur, quòd nimirum inſtans, & punctus eſt; ridicula ſanè & omnino falſa pronunciaſſet: ſiquidem inſtãs aliud continere inſtans ab eo non ſeparatum, ratione cuius intelligatur, aſſeruiſſet; & idem protuliſſet inſtans, quod eſt per ſe quidem indiuiduum, per accidens, & ratione alterius indiuiduum eſſe. Quæ profectò adeò indigna ſunt Ariſtotele, vt nihil indignius dici, aut exiſtimari poſsit. Neq; hæc duo abſurda poſſumus euitare eo, quòd Ariſtoteles in xxiiii. contex. cum tempus inquit, ratione inſtantis eſſe indiuiduũ, & ideo ab intellectu noſtro comprehendi, de eo tempore indiuiduo non loquatur, in quo paulo ante dixerat fieri intellectionem: propterea quod de eodem prorſus ſermonem habet, quod oſtendit ijs verbis. *Per accidens autem, & non hoc ſanè, quo illa diuiſibilia ſunt, id, quo intelligit, & tempus, in quo intelligit, ſed hoc, quo indiuiſibilia ſunt.* Adeò igitur clara & aperta ſunt verba Philoſophi, vt conſtanter aſſerere debeamus, non in inſtanti & ſubitò, verùm in tempore, quod tamen ſit vnũ, atq; continuum, intellectum noſtrum ſuis fungi muneribus. Et hercule valde mirari nos oporteret, quòd Ariſtoteles voluiſſet in inſtanti noſtram fieri intellectionem, & nihilominus inſtantis voce nunquam vſus fuiſſet, cum ille circumſcriptiones afferre, & proprias voces pętermittere non cõſueuerit.

Nemini autem mirum videri debet, quòd naturalis generatio fiat in inſtanti, atq; intelligentia noſtra, quæ ſpiritualis eſt quædam generatio, neceſſariò aliquid temporis poſtulet: quoniam in intellectu noſtro, & cæteris cognitione viribus præditis, præter illam primam imaginum, ſpecierumq; productionem, quæ fit in inſtanti, iudicium deinde & cognitio obiecti reperitur, quę perfici in tẽporis momento nequeunt. Hoc in ſenſu, & phantaſia valde conſpicuum eſt. phantaſia quidem, tametſi à phantaſmate in inſtanti mouetur, huius tamen in inſtanti cognitionem ea aſſequi minime poteſt; ſed aliquid ſemper temporis requirit. quod quemuis hominem in ſe ipſo equidem experiri crediderim: quippe qui nullum reperiri arbitror, qui hoc unquam fuerit conſecutus, vt vllã rem in inſtanti perfecte planeq; imaginatione perceperit. Idem prorſus in iudicio ſenſus animaduertes. Illa enim quę oculorum noſtrorum aciem citò ac celeriter tranſeunt, quod ex obſtrepente, & omnia proſternente tormento illo, quod vulgo bombardã vocant, glans eiecta efficit, iccirco videre nõ poſſumus: quoniam nobis non datur id temporis, quod iudicium poſtulat oculorum. Atq; iſtud, quod de videndi virtute protulimus, quiuis etiam audiendo, odorando, guſtando, & tangendo experietur. iis addere poſſemus ea, quæ in tractatione de communi ſenſu, & in phantaſię definitione in iii. de Anima ab Ariſtotele ſcribuntur, niſi hæc omnia fuſè, & apertè in Diſputatione noſtra fuiſſent explicata. iſtud ſolùm ſubiiciemus, quod ſententiam noſtram maximè confirmabit. nempe Ariſtotelem in CXLVI. cõtex. cum vellet oſtendere, quo pacto Communis ſenſus in vno, & eodem tempore de diuerſis ſimul, & contrarijs ſenſibilibus iudicat, vſum eodem prorſus fuiſſe modo loquendi, quem in xxiii. & xxiiii. contex. tertij de Anima commentarii paulo ante perſpeximus. Dixit enim communem ſenſum in tempore inſeparabili ac indiuiduo ſimul diuerſa, & oppoſita ſenſibilia cognoſcere. Qui deinceps in fine libelli de ſenſibus, & ijs, quæ cadunt in ſenſum, apertiſsimè declarauit, quid pro tem pore inſeparabili, ac indiuiduo intelligere debeamus. ibi

enim

enim eadem mota difficultate nos animaduertit, ut pro tempore indiuiduo, tempus interpretemur, quod totum continuum exiſtat; in quo quidem communis ſenſus de pluribus, ac diuerſis ſenſibilibus iudicium ſimul ferre poteſt. Quam eiuſmodi verborum explicationem, & loquẽdi genus ſi à me iterum confirmari deſideras, affero eundem tibi Philoſophum in v. ac x. libro Primæ Philoſophiæ, vbi per tempus indiuiduum minime inſtans, ſed tempus vnum actu continuum accipi manifeſtò perſpexeris. In v. cap. de vno, cum dixerit, illud verè ſecundum naturam eſſe continuum, cuius eſt vnus motus, qui fit vnus motus ſubiungens ait. *Vnus autem is eſt motus, qui indiuiſibilis eſt, atq; indiuiſibilis tempore.* Quod iterum in x. libri initio declarans eadem propè verba habet, & inquit de continuo ſermonem habens. *Tale autem eſt ex eo, quia motus eſt unus, & indiuiſibilis tempore, atq; loco.* Quamobrẽ ego hanc ingenioſam me hercule, & veram ſummi Peripatetici, ac ſingularis Doctoris mei de intellectione noſtra ſententiam ſatis peripateticè ac firmè bis à me defenſam fuiſſe crediderim. Et quanquam hic locus quibusdam doctis viris perdifficilis eſſe videtur, neq; ii adeò facile adduci poſsint, ut credant, hanc veram & germanam Ariſtotelis de hac re ſententiam eſſe, cum hic alibi ſenſiſſe aliter videatur: ego tamẽ nunquam eiuſmodi opinionem mihi deponendam puto. Nam cùm ea, quæ in x. Ethicorum libro cap. iiii. vt aliàs notauimus, à Philoſopho ſcribuntur, vbi viſionem, & voluptatem fieri in inſtanti, aſſerere videtur; tum illa, quæ in vii. Phyſicorum habentur de intellectus noſtri habitibus, ac ſciẽtiæ adeptione, paululum ſemper nobis officere & obſtare duxi. Alexander Pancius, Nobilis Ferrarienſis Academię Philoſophus, qui ob præclaram eruditionẽ, incredibilemq; illius erga me beneuolentiam ſummopere à me diligitur, & obſeruatur, cum iii. Animæ librum interpretando ad hunc locũ perueniſſet, duo paulò ante à nobis adducta capita pro contraria opinione magna fundamenta eſſe putauit. Sed aliàs nos diximus, in ſenſus actione, & aliarum animę potentiarum, quæ cognoſcendi facultatem habent, duo eſſe à no

bis

bis conſiderāda: prior eſt obiecti motio, quod imaginem ſuā & ſpeciem virtuti cognoſcenti offert, hancq; illa ad agendū excitat; quod quidem in inſtanti fit, temporiſq; momento. Atq; Philoſophus in initio v i i i. cap. x. Ethicorum libri de eiuſmodi loquens obiecti motione, viſionem, ac volupta tem fieri in tempore negauit: nam color, & delectabile ſta tim ſubitòq; mouent videndi vim, & appetendi, iſtaſq, de-ducunt ad actum. Alterum verò, quod nos animaduertere oportet, eſt eiuſmodi obiecti cognitio, quę ab anima profi-ciſcitur; atq; hæc abſq; temporis ſpatio perfici nequaquam poteſt. Alter præterea v i i. Phyſicorum locus ita explicandus nobis quidem videtur. Nam Ariſtoteles à x v i i. vſq; ad x x i. particulam, ſi ij quatuor contextus diligenter à nobis perpendantur, ad id præſertim intendit, ut probet tum cor poris, tū animi habitus non eſſe alterationes, nec propriè ac per ſe alteratione fieri, primùm, quia ſunt perfectiones; de inde verò, quoniam ex eorum ſunt numero, quæ ad aliquid dicuntur: perfectiones enim non ſunt alterationes, nec ea, quæ ad naturam & perfectionem ſuam tendunt, alterari, ſed potius fieri id, quod verè debent eſſe, dicuntur. Item ea, quę dicuntur ad aliquid, dū fiunt, alterationem minime patiun-tur: immo verò, cū hæc inſint in aliis, neq; ſe ipſis conſtent, nec alteratio in iis, nec ortus, neq; mutatio p ſe eſſe omninò poteſt. ſed aliorū hæc alterationes, mutationeſq; per accidēs ſequuntur. Et ita tum corporis, tum animi virtutes quadam facta in ſentiendi & appetendi parte alteratione naſcun-tur. Quare Philoſopus hic præcipuè de habitibus ſermonē habet; de quibus (ut mea fert opinio) aliud eſt loqui, ac de actionibus, quæ illos pariunt, vel ex eis deinde naſcuntur. Quod ſi inſtaueris, in x x. contextu de eo actu loqui Philo ſophum, qui ſcientiam gignit, & ab hoc paulò poſt profici-ſcitur, reſpondebo, ex verbis Philoſophi in hoc loco mini-me deduci poſſe, in inſtāti fieri intellectionem; ſed nos hinc illud tantùm apprehendere, cùm actum, quo ſcientiam in tellectus noſter aſſequitur, tum eum, qui à ſcientia iam par te deinde fluit, neq; alterationem dici poſſe: quippe quòd

eiuſmodi fiunt actus nulla intellectu prorſus affecto paſsione: ſed ſi qua eſt mutatio, ea quidem præceſsit in corpore: nam, cum ceſſaut corporis noſtri motiones, & appetitus cõquieſcunt effrenatæ libidines, mẽs noſtra ſapere incipit pro prijsq; muneribus fungitur.

QVID SIT PRIMO COGNITVM AB *intellectu noſtro in ſimplici rerum cõprehenſione.*

Cap. X.

EX ijs, quę hucuſq; concluſimus, nobis perſpicuum eſſe poteſt, quid ſit illud, quod primò ſe offerat intellectui noſtro in ſimplici comprehenſione rerum: in hac enim præcipuè dubitarunt interpretes Ariſtotelis, cuius nam rei primò notitiam conſequamur. Verùm nos varios intellectus noſtri mores animaduertentes omnem hîc facilè difficultatem reſcindemus, & ſubitò amplexabimur veritatem. Intellectus igitur noſter cum non eundem ſemper morem ſeruet, ſed aliquando à nobis conſideretur ea ratione, qua ſenſui coniunctus eſt, ac eius terminus appellatur: aliquando verò ut intellectus, ac in ſe permanens; atq; hac iterum ratione modò rudis & omnium penitus formarum expers; modò ſcienti ſimilis à nobis conſpiciatur, profectò in triplici hac conſideratione ad eandem ſemper rem, tanquã ad obiectum primum, non mouetur. Atqui cum ſenſus, qui cum primum ortus eſt, à generante diſtinctam eorum, quæ ſentiuntur, notitiam eſt conſecutus, primò in ſenſibile per ſe propriumq; feratur, (communia enim ſenſibilia mediis propriis iudicãtur) ac inter propria tangibiles qualitates, quod ſenſus tactus primus eſt omnium, & inter eas, quas actiuas vocant, atq; ex duabus actiuis caliditatem, validiorem ſanè, primò cognoſcat; eadem, ni fallor, ratione intellectus noſter, quando, ſe ſe inflectens ad ſenſum, ac tanquam terminus huius, ad percipiendas res excitabitur, ſingularis, atq; compoſiti, & inter hæc calidi in primis cognitionem attinget. Quòd

ſi

ſi intellectum noſtrum perſpexeris, quando rudis & expers eſt, nec multum adhuc in diſciplina, & vſu rerum exercitatus, tunc ſanè in ſtupida illa confuſaq; cognitione initio magis vniuerſalia in plurimis apprehēdit: quòd hęc eum prius, & fortius, quàm minus vniuerſalia commoueant, cum ſæpe ac ſæpius ferierint ſenſus noſtros. Quod pueri iam balbutientes apertiſsimè nobis oſtendunt, qui omnes homines, patres, & omnes fœminas vocant matres. Eo enim tempore tametſi vera pariter rei forma accidentibus eis valde communibus inuoluta in phantaſiam delata eſt: attamen tunc propter eam, quam diximus ignorantiam, & experientiam nō dicam, eam nec phantaſia, nec intellectus noſter percipere diſtinctè poſſunt. Cum intellectus verò noſter ſingula factus, & ſcientis habitum, ac vltimam adeptus fuerit perfectionem, eo quidem tempore diſtinctè pleneq; veritatem rerum perſpiciet, atq; in veram, & propriam rerum formam, ſpecialiſſimam nimirum ſpeciem, tanquam in perfectissimum obiectum primò deferetur. Has tres me hercule concluſiones ex Ariſtotelis dictis elicere debemus, easq; tenere conſtanter permittentes principes Latinorum de hac re inter ſe digladiari, ſi id velint nimium agere pertinaciter. Reliquum eſt, ut videamus, quot ſint habitus intellectus noſtri, & quę ſit eius felicitas, vt deinceps ad alterum intellectum, Agens qui dicitur, deueniamus.

DVO ESSE HABITVS GENERA INTELlectus, & quæ ſit uera hominis beatitudo ex ſententia Ariſtotelis. Cap. XI.

CVM dixerimus intellectum noſtrum ſcientis inſtar habitum ſibi comparare, debemus animaduertere, duo eſſe habituū genera, quibus deinde menti noſtræ duo etiam nomina impo nuntur. Porrò habituum varietas ex rerum diuerſitate oritur, quibus nos intelligendo incumbimus: aliæ enim actioni noſtræ ſubiiciuntur, oriunturq;, ac intere-

unt, & poſſunt aliter ſe habere: quædam verò aliæ ſubiectæ
tantùm contemplationi neceſſariæ ac ſempiternæ dicuntur.
Profectò ad iis omnibus incumbendum intellectus noſter
æqualem à ſui ortus initiis propenſionem & facultatem ha-
bet. Cęterùm cum priorum habitum acquiſierit, Practicus
dicitur à Peripateticis: quemadmodum cum poſteriorum re
rum habitum ſibi comparauerit, Speculatiuus nuncupatur.
Practicus bonum ſibi pro fine conſtituit, & licet aliquando
in veri indagatione verſetur, id tamen boni, & actionis gra-
tia conſiderat, quare conſilio & deliberatione vtitur, & huic
inſeruit, obſequiturq; voluntas: ſpeculatiui autem intelle-
ctus finis eſt veritas, quæ nullam penitus actionem reſpicit.
A nobis præterea ſciendum eſt, hæc duo habituum genera
plures ſubiectas ſibi ſpecies habere. Siquidem practicum om
nes eas virtutes, quæ dicuntur morales, atq; ex conſuetudi-
ne comparantur, & inſuper prudentiam & artem continet;
quanquam ars à prudentia ſeiungitur, quòd illa faciendi, hæc
verò ſit agendi principium. Speculatiuum vero diſciplinas
eas cõplectitur, quæ ex doctrina maximè gignuntur, ab eaq;
ſuſcipiunt incrementum; quæ idcirco, ut ait Philoſophus,
multum experimenti, ac temporis poſtulant. De quibus
omnibus Ariſtoteles in Ethicorum libris ita luculenter, co-
pioſè, docteq; pertractauit, ut nihil ſupra efflagitare poſsis
ab homine omnium diſciplina morum eruditiſsimo. Homo
verò cum eſt habitibus practicis exornatus, & viuit ſecundũ
eos ac operatur, humana fruitur felicitate, quæ homini ea ra
tione, qua homo, & ciuilis eſt, conuenit. Atqui cum fuerit
ſpeculatiuos adeptus, eis vtens vitam perfectò nobiliorem, ac
beatiorem degit: quippe qui naturam tunc humanam tran-
ſcendere, & ad diuinarum mentium nobilitatem popè acce
dere videtur. Nam quamuis vtroq; habituum genere, rectè
agendi nimirum, & contemplandi, nos ſimiles Dei Opt.
Max. eiq; amiciſsimi reddamur; id nihilominus contempla
tione magis, quàm actione conſequimur. Si qui autem Iuue
nes appetunt hanc vltimam Ariſtotelis felicitatem adipiſci,
ad eam minime peruenire poterunt, niſi prius eos ſibi habi-

tus comparauerint, qui practici, & virtutes moris dicuntur. Vt autem virtutibus, ac bonis moribus imbuantur adoleſcentes, eis operæ precium eſt (quod item Socrates Philoſophorum ſanctiſsimus in Phædone præcipiebat) appetitus omnes & animi perturbationes coercendo in prima adoleſcentia aſſueſcere bonis operibus. Quod facilè conſequentur, ſi aſsiduè proborum, & Eruditorum Hominum vtentur familiaritate, & eorum præcepta ſeruabunt, veſtigiaq; perſequentur. Ita mehercle deinceps ad ſpeculandi ſtudia conferre ſe poterunt, & adeò in eis proficere, ut tandem ex ijs naturalibus, & caducis formis ea ratione, qua motionis termini dicuntur, & ſubſtantiæ ſunt, nec non bonitatem participant, ad ſummum totius mundi opificem Deum ſuæ mentis aciem erigere valuerint, eumq; contemplari, vt eſt actus omnium quam ſimpliciſsimus, nobiliſsimus, perfectiſsimus, & eſt cauſa efficiens, forma & finis omnium rerum; nec non vt ſua ſcientia, longè nobilior noſtra, eſt ipſius ſubſtantia, ac immortalitas, & vita ſempiterna; ac quemadmodum ſolum ſe ipſum intelligendo omnia quoq; alia intelligit, ac producit, non Naturæ modo, aut vlla coactus neceſsitate, ſed ex ſola maxima ſua bonitate, ac electione, quæ quidem eſt altior noſtra, & ei plurimum antecellit, & ab ipſo met Deo ſolùm eſt comprehenſibilis: qua eadem admirabili quadam lege, & ordine, ſummaq; iuſtitia adminiſtrat vniuerſum orbem, temperat, moderatur, perpetuoq; conſeruat. Hæc eſt poſtrema ſummaq; hominis beatitudo, quam nouit Ariſtoteles, de qua in xxxix. particula xii. primæ Philoſophiæ mentionem egit, ibiq; hanc paruo in nobis tempore durare aſſeuerauit. quod ſanè euenit, quia illam ſolùm in ſenectute poſt multas vigilias, & lucubrationes conſequimur. Et ſi quis mallet Simplicij, & Auerrois figmento potius adhærere, illudq; iterum confirmare, quoniam minus exacta, & perfecta videatur eiuſmodi cognitio, quam Dei Opt. Max. nos diximus adipiſci ex ijs caduci formis, & inferiorum, ac ſuperiorum corporum latione; ac talis iccirco notitia nequeat nos felices ac beatos efficere; huic notandum eſt quod in fi-

ne

ne primi de partibus Animalium Philoſophus animaduertit. Quanquam enim nos Dei Opt. Max. ac aliarum Beatarum Mentium leuem, & modicam notionem conſequimur: nihilominus, tanta eſt æternarum ſubſtantiarum nobilitas, atq; præſtantia, ut parua & medioeris earum cognitio tàm mira & incredibili nos afficiat delectatione, ut eam perfectiſſimæ, & exactiſsimæ harum caducarum rerum ſcientiæ anteponamus, noſq; ob illam felices ac beatos arbitremur eſſe, perinde ac amantes, qui ex puellarum ſuarum, quarũ amore feruent, ſola facie & conſpectu ſe beatiores fieri prædicãt, quàm ſi aliam quamuis mulierem totam contrectare totáq; frui poſſent. Futilis autem omninoq; commentitia eſt illa Auerrois & Simplicij beatitudo, quam aſſerunt, nos adipiſci, cum intellectus Agens, vt forma, Potentia intellectui coniungitur: propterea quòd intellectus noſter abſq; phantaſmate nihil intelligere poteſt, ut ſatis ſuperq; in priori libro mõſtrauimus. Neq; ipſe legi, aut audiui vllum vnquam inuentum fuiſſe hominem, qui in hoc vitæ ſtatu aliquam huius inferioris, vel ſuperioris mundi formam (Dei Opt. Max. diuina miracula excipio) ſine eius phantaſmate vel rectè, uel obliquè eam referente intelligere potuerit. Quod item Beatus Thomas, cùm ut ſummus Philoſophus, cùm ut Theologus omnium præſtantiſsimus aſſeuerauit in ea Quæſtione præſertim, quam de uita contemplatiua egit. vbi ad ſecundum quinti Ariculi reſpondens argumentum hæc habet. *Contemplatio humana ſecundum ſtatum præſentis uitæ nõ poteſt eſſe abſq; phãtaſmatibus: quia connaturale eſt homini, ut ſpecies intelligibiles in phãtaſmatibus uideat, ſicut philoſophus dicit in iii. de Anima: tamen intellectualis cognitio non conſiſtit in ipſis phantaſmatibus, ſed in eis contemplatur puritatem intelligibilis ueritatis. et hoc non ſolùm in cognitione naturali, ſed etiam in eis, quæ per reuelationem cognoſcimus.* Sed præter hęc ſi Ariſtoteles, cuius hic veram pręcipuè ſententiã inquirimus, vltimam felicitatem noſtram, quę contemplatiua dicitur, in illa Agentis, ac Potentia intellectus coniunctione poſuiſſet, non dixiſſet in x. Ethicorum libro, cũ propriam de hac re ſententiam profert, nos potiri aliquando

huius

huius felicitatis, quæ ex contemplatione oritur: quoniam aliqua inſit nobis Deorum operationis ſimilitudo: nec paulo poſt etiam in hac beatitudine latitudinem vllam cōſtituiſſet dicens. *Quouſq; igitur contemplatio ſe ſe extendit, eouſq; ſe ſe extendit & felicitas ipſa: & quibus contemplatio magis ineſt, iis & felicitas magis ineſt, non per accidens quidem, ſed per ipſam utiq; contemplationem.* Etenim ſi intellectus noſter beatus euaderet, cum ei Agens, vt forma, coniunctus eſſet, tunc eius quidem intellectio ſimilis quoquo modo immortalium Deorū operationi non diceretur, ſed eadem prorſus eſſet: quoniam ſe ipſum tantum intelligendo æquè ac Beatæ Mentes, omnia quoq; alia comprehenderet, neq; hic homo magis, & ille minus felix diceretur, cùm æqualiter omnes beati eſſent: quippe qui intellectum Agentem pro forma adepti fuiſſent, qui eodem profectò modo in omnibus copulatus eſſet cum intellectu potentia. Iam verò, cū hæc omnia explicauerimus, quæ ad intellectum noſtrum per ſe ſpectant, reliquum eſt, vt alterius intellectus, qui vocatur Agēs, ſiue actus, attingamus contemplationē, & oſtendamus, qua adductus ratione hunc introduxerit Ariſtoteles, & quam hic nobis vtilitatem præſtet, & quæ ſit natura huius atq; ſubſtantia. Quæ ſanè omnia eo ordine, ac methodo à nobis fuerint explicanda, quam videmus Philoſophum obſeruaſſe.

QVA COACTVS NECESSITATE INTRODVXErit *Ariſtoteles Agentem intellectum quid hic cenſerat intellectus Potentia, & quàm diuerſam ab eo naturam ac ſubſtantiam habeat.* Cap. XII.

QVoniam ſæpe ac ſæpius aſſeuerauimus, intellectum noſtrum, priuſquam intelligat, nullum omnino habere actum, & nihilominus poſſe actu omnia euadere, neceſſe eſt, vt aliquod reperiatur agens, quod eiuſmodi potentiam intellectus noſtri deducat in actum. Sicut enim in naturali omni generatione, ſiue re corporea eſt alterum, quod materiæ rationem

tionem habet, & eſt potentia omnia illa, quę in eo genere fiunt; alterum verò, quod eſt cauſa efficiens; perinde vt ars, omnium eorum, quæ potentia inerant in altero, quod materies appellatur: ita ſanè in Humana Anima, in qua incorporea, ſiue (ut iuniorum verbo vtar) ſpiritualis quædam generatio conſpicitur, neceſſe eſt vtrunq; horum inuenias, alterum nempe intellectum, qui materię reſpondeat, & fieri poſſit omnia, atq; alterum, qui econtra omnia poſsit efficere, cũ agentis rationem habeat. Iam verò, vt planè videamus, quo pacto agat hic intellectus Agens, & quæ ſit natura eius atq; ſubſtantia, à nobis aliud eſt repetendum, quod ſupra crebrò notauimus: Sæpe diximus, intellectui noſtro, ſi intelligere velit, operæ precium eſſe, aliquod ſemper phantaſma contemplari, quod pariter eodem tempore à phantaſia comprehendatur: niſi enim intellectus noſter à phantaſmate moueatur, nihil omnino agere per ſe ipſum poteſt. Atq; iſtud in harum non modò formarum, quæ intereunt, & oriuntur, ſed etiam in immortalium ſubſtantiarum, & actuum intelligentia neceſſarium ſemper eſſe conſtanter aſſeuerabis; permittesq; Simplicianos ea, quæ velint, cõminiſci, cum multis non modò ſententiis Ariſtotelis, ſed etiam cuiuſcunq; hominis experientia omne eorum figmentum penitus euaneſcat. Cum autem phantaſma ab externis rebus proficiſcens cum omnibus pariter indiuiduorum conditionibus in phantaſiæ organo, quod ſtatuit eſſe cor Peripateticus magnus Alexander, recipiatur, perq; illud extendatur, intellectum commouere nequit, niſi prius fuerit expoliatum omninò eiuſmodi conditionibus: quippe quod materiale phantaſma immaterialem intellectum mouere nunquam poſſet, cum nulla inueniatur inter rem materialem & immaterialem proportio. Quare neceſſum eſt, aliquod habeamus efficiens, quod phantaſma ab omni materiæ conditione ſeiungat, quo ſui ſpecie excitare queat intellectum. Quoniam verò hoc agẽs phantaſma reddere debet immateriale, idcirco neceſſum eſt, vt immateriale etiam, & ab omni penitus potẽtia ſeparatum eiuſmodi ſit efficiens: propterea quod ſi vlla huic potentia

admiſceretur,

admiſceretur, nunquam phantaſma à materię appendicibus, & ab omni potentia ſegregare poſſet. Præterea cum materialis res quicquam agere in re immateriali nequeat, quoniam nulla, ut diximus, inter has proportio reperitur, eiuſmodi quidem agens, dum phantaſma efficiet immateriale, re vera nihil in eo gignet, ſed illud tantùm reddet intelligibile. Talis igitur intellectus Agens (ex ordine enim intellectuum ſumas oportet efficiens iſtud, quod à nobis indagatur) ea ſanè ratione ſe geſſerit. Siquidem hic materiatas partes, quæ vniuerſalem formam in phantaſmate delitescentem obſcurant, ſegregando, ita illud colluſtrabit, ut immateriale, ac intelligibile euadet, poteritq; tunc ſui ſpecie, intellectum noſtrum commouere. Porrò ab intellectu Agente phantaſma nihil noui accipit, ſed ſolùm hoc habet, ut modò intelligi valeat, cum prius tale minime eſſet: eiuſmodi enim agens, veluti habitus phantaſma reſpicit, & habitus quidem, vt lumen, ait Ariſtoteles. Quæ me hercule comparatio ſi rectè, & diligenter conſideretur, euaneſcent omnes difficultates, quas hoc in loco mouere interpretes ſolent. Nempe ut lumen perſpicuam coloris partem illuminans, colorem non efficit, ſed eum ſolùm talem reddit, vt videri queat, itaq; ſola præſentia eſt ei ratio ut habitus, oculum ſui ſpecie commutandi: eodem ſanè modo intellectus Agens vniuerſalem formam in phantaſmate à ſingularium conditionibus adumbratam ſuo illuſtrans ſplendore, idq; ſola præſentia præſtans, eam minime gignit, ſed ſolùm intelligibilem efficit, eſtq; ut habitus quidam phantaſmatis, qui non verè agit, ſed eſt ſolùm agendi ratio, æque ac citharam pulſandi ars, quæ verè pulſare nō dicitur, ſed illa eſt, cuius beneficio citharedus operatur. Hac me hercle ratione ſuo fungitur munere intellectus Agens, qui tameſi phātaſmatum gratia nobis tributus eſſe videtur, magis tamē ob ipſam intellectionem eum nos poſsidere credendum eſt. nam mediis phantaſmatibus ſuum beneficium in intellectum potentia confert. Namq; phantaſma ea quidē ratione, quòd ab Agente illuminatum eſt, excitat intelle-

ctum noſtrũ,huncq; deducit ad actum,qui deinde ſic à phã-taſmate commotus vi & natura propria rem percipit intelligibilem. Etenim cum intellectionis noſtræ duę ſint cauſæ, nempe intellectus Agens, atq; phantaſma, eam intellectui Agenti tanquam principali & potiori cauſæ, acceptam referre, opus eſt, quanquàm medio phantaſmate,quod eſt ſecunda cauſa, eandem præſtet. Hic igitur intellectus, eiuſmodi porrò ratione vocatus ποιητικός, & ἐνέργεια, omnia poteſt efficere,ea nempe,quæ poteſtate ſunt intelligibilia, actu efficere intelligibilia; quemadmodum ex altera parte intellectus Potentia tàm materialia, quàm ea, quæ ſunt à materia ſeparata, ſpirituali,ſiue incorporea quadam ratione euadere poteſt. Iam verò ex iis,quæ diximus,ſatis facilè patere poteſt,quæ intellectus Agentis natura ſit atq, ſubſtantia:quippe qui ſimpliciſſimus,& puriſsimus eſt actus: eſt enim ſubſtantia (vt inquit Ariſtoteles)exiſtens actus,idem penitus cũ ipſius met actu ſcientia,atq; ſe ipſum perpetuò & ſemper intelligit,& ab omni omnino eſt materia, potentiaq; ſeparatus, ac immortalis.Quamobrem tantùm abeſt, ut ex eiuſmodi intellectu, & altero, quem poſsibilem appellamus, humana anima conſtituatur, ut potius alter maximè opponatur alteri.Siquidem intellectus noſter,qui poſsibilis dicitur,ſecũdum naturam propriam eſt pura nudaq; poteſtas,eſtq; animæ noſtrę particula,quæ recipiendo ſpecies rerum intelligit,neq; ſe ipſum nouit, niſi per accidens,videlicet dũ alia percipit; & ſi aliquando etiam circum ſubſtantiam propriã ſe ipſum conuertit, hoc quidem raró,& non ſemper conſequitur; propterea nec loco, neq; ſubiecto à cęteris partibus animæ noſtrę ſeparatus eſt. Quæ quidem omnia, vt naturę intellectus Agentis paulò ante explicatæ maximè aduerſentur,cuiq; Peripatetico diligenter inſpicienti manifeſtũ erit. Quamuis autem animam noſtram ex intellectu Agente, & Poſsibili conſtitutam eſſe negauerim,non ob id tamen inficior,aliquam in anima noſtra ineſſe compoſitionem: ſed illud tantum aſſero,ex poſsibili,Agenteq; intellectu ſubſtantiam vnam, tanquam ex duabus partibus veris,& aſſentialibus

bus

bus (quod aiunt) minime conflatam eſſe. Ariſtoteles enim dixit, Quoniam in omni natura (pro qua nos intelligimus naturalem generationem, & rem corpoream) alterum inuenitur, quod eſt materia, & poteſt omnia fieri, alterum verò, quod omnia poteſt efficere: ita neceſſe eſt in anima, ſcilicet in ſpirituali generatione, & re incorporea has duas ineſſe differentias. Non dixit Philoſophus partes: hoc vtiq; ſciuiſſet pronuntiare, cum ei nomen partis maximè familiaris eſſet. Ad hæc Ariſtoteles intellectum Agentem lumini ſimilem eſſe dixit: lumen verò num viſus, aut coloris vnquam partem vocaueris? color enim ex diaphani, ac opaci miſtione conſtat. Quanquam memini aliàs, Benedictum Manſolium omni doctrinæ genere, & eloquentia valde excellentem virum, ac mei amantiſsimum, cum aliquot, qui tunc Ferrariæ Madium audiebamus, & nobilis, & eruditi Horatii Malecutii domum nos exercendi gratia ſępe conueniremus, colorem eiusdem eſſe naturæ cum lumine, ex ſententia Ariſtotelis ſatis doctè, & ingenioſè, vt omnia conſueuit, in diſputatione quadam ſuſtinuiſſe. Verùm, vt ad rem redeam noſtram, quid cogit nos, Agentem intellectum animæ noſtrę partem decernere, tametſi efficientis munere fungitur? non ne in naturalibus, & corporeis ſimiliter rebus agens à patiente diſtinguitur? mas enim & fæmina inter ſe agunt, & patiuntur; & nihilominus duæ ſunt inter ſe diuiſæ ſubſtantiæ. Atqui ſtatuas, intellectum Agentem eſſe partem animæ noſtræ, & videas quæſo, deinde, quid conſequatur. Etenim cum hic ſit puriſsimus actus ſecundum ſubſtantiam, & ſe ipſum ſemper intelligat, non ne pretioſiſsimos optimosq́, in nobis theſauros haberemus, qui attamen nos laterent? Et quam legitimam pro Ariſtotele habere poſſes execuſationem, qui toties Platonem reprehendit, quòd ideas omnium rerum in nobis ineſſe voluerit? illud verò nos parum compellere videtur, vt ſcilicet intellectum Agentem animæ noſtræ partem confiteamur, quoniam huic cum intellectu potentia ea conueniant, eſſe nimirum ſeparabilem, immiſtum, & impatibilem. nam prętet hæc tot deinde rationibus ab eo diſtinguitur,

tur, ut nullo modo cum eius natura cohærere poſsit. hic enim ſcilicet intellectus noſter ſecundum ſubſtantiam propriam eſt pura nudaq; poteſtas: ille verò nimirum Agens, eſt purus, ac ſimpliciſsimus actus: hic aliquando intelligit, aliquando non intelligit: ille in intelligentia ſemper verſatur: hic ſi aliquando cognoſcit naturam propriam, id ſumma cũ difficultate, & argumento quodam obliquo conſequitur. ille perpetuò ſe ipſum percipit, ac intuetur, cum eius ſcientia ſecundum actum ſit eiusdem natura atq; ſubſtantia: hic à ſenſu, & altrice anima nequaquam loco, & ſubiecto diſiungitur: ille verò ab omnibus animæ partibus, materia omnino ſeparatus eſt. Atq;, ut illud, quod maximè vrget, non prætereamus, ſi intellectum Agentem partem animæ noſtræ tenueris, arduum ac difficillimum tibi erit, cauſam reddere propter quam Ariſtoteles, cum in xx. tertii de anima contex. ſolùm ſeparatum, ſolùm immortalem, ſolùm perpetuũ eſſe affirmauerit. Poſtea quam enim Philoſophus in xvii. & xviii. contex. neceſsitatem, ac officium & munus intellectus Agentis aperuit, & deinceps in xviiii. particula oſtendit, quæ huic cum Poſsibili intellectu conueniant, incœpitq; naturam eius, & ſubſtantiam explicare, tandem in xx. contex. inter vtrunque diſcrimen ponit, & Agentem ab intellectu potentia ſeparando, perficit naturæ, ac ſubſtantæ illius explicationem. Quamobrem nulla alia ratione exiſtimare poſſumus, Agentem, intellectum ſolùm ſeparatũ, ſolumq; immortalẽ atq; perpetuum vocatũ fuiſſe à Philoſopho, niſi quia eũ tunc cũ intellectu potentia, qui etiã in nobis ineſt, & noſter eſt proprius, comparauerit. Quippe mendax fuiſſet Ariſtoteles, ſi abſolutè locutus eſſet, cum præter Agentem alii diuini pariter intellectus, ſeparati, immortales perpetuiq; reperiantur. Mirum tandem, ac quaſi nefandum eſſet, quòd Ariſtoteles intellectum noſtrum voluerit eſſe eternum, ac immortalem, & de eo eiuſmodi nunquam voces protulerit, cum in eius præſertim diſputatioue verſatus eſt; quas nihilominus de intellectu Agente, de materia prima, de corpore cœleſti, de prima illud mouente Cauſa, ac cæteris beatis mentibus apertè palamq; pronuntiauit. Age verò

quiſpiam me interroget, quis ſit eiuſmodi intellectus Agẽs, cum eum nullam animę noſtrę partem eſſe, decreuerim: Equidem vnà cum Alexãdro Præſtantiſsimo interprete Ariſtotelis, reſpondebo, hunc eſſe Deum Opt. Max. cui quidẽ ſententiæ maximè ſuffragari videntur ea dicta Ariſtotelis, quæ ſupra iamdudum à nobis adducta fuerunt: ſolus quippe ſummus ipſe mundum arcens, & continens Deus omnia efficere poteſt, quæ intellectui agenti tributa ſunt. Illa præterea verba, quæ ſignificant, Agentem ſecundum ſubſtantiam eſſe exiſtentem actum, cuius ſcientia ſit eiuſdem ſubſtantia, ſemperq́; , ac perpetuo ſe ipſum intelligere, ac ſolùm ſeparatum eſſe, ſolùm immortalẽ, atq; perpetuum, in Deum Opt. Max. præcipuè conueniunt, & ad ſummam eius præſtantiam, ſingularemq; perfectionem aptiſsimè quadrant. Quibus hanc ſatis firmam ſubiungere rationem poſſumus. Cum intellectus Agens debeat ab omnibus conditionibus, & appendiculis materię, & ab omni potentia phantaſma ſeparare, neceſſario opus eſt, eum ab omni materia remotum eſſe, ac poteſtate, nec non vi ac natura propria eſſe intelligibile, ſi cætera hunc participiando ab eo reddi debent intelligibilia. Tantæ verò perfectionis, atq; virtutis ſolus eſt omnium Princeps, ac moderator Deus, & huic ſolùm eiuſmodi officium demandari poteſt: nam reliqui diuini intellectus omnis omnino potentię non ſunt expertes, cum eis ſaltem admiſceatur potentia intellectus poſsibilis, de qua ſupra locuti ſumus. Hac profectò ratione hic intellectus, quem Agentem communiter vocamus, in xviiii. tertij de Anima contextu νοῦς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια ab Ariſtotele dictus eſt, quæ præcipuè Deo Opt. Max. verba conueniunt. Et quanquã in nonnullis libris Baſileæ impreſsis gręcè legitur ἐνεργείᾳ; at tamen illi, qui deinde milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo nono Baſileę item impreſsi ſunt, atq; contextus Aldi Manutij, Pauliq; eius filii, nec non ille, quem Philippus Iunta correctum à Nicolao Leonico Florentiæ impreſsit anno ſalutis noſtræ Milleſimo Quingenteſimo vigeſimo ſeptimo verba græca ſic habent, καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγής,

καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. Hæc igitur noſtra eſt de intellectu Agente ſententia, contra quam, non me latet, multis rationibus occurri poſſe, quæ ſatis eam infirmare ac frangere videntur. Quare illas nos diluere oportebit, ut firma ſtabilisq; noſtra permaneat opinio. Verùm antequam attingo eas diſſoluere, operę precium eſt Ariſtotelis diligenter locos perpendere, qui priori ſententię noſtrę, quam de Potētia intellectu protulimus, aduerſari videntur. Atq;, vt recto ordine progrediamur, hinc tertiũ libri ſumemus exordium.

AD COSMVM MEDICEM FLORENTINORVM, AC SENENSIVM DVCEM

Præſtantiſsimum,

IVLII CASTELLANII FAVENTINI IN TERTIVM LIBRVM de Humano Intellectu Procemium.

MIRVM quondam viſum eſt, OPTIME DVX, Quibuſdã huius noſtræ ętatis Doctis, & Eloquẽtibus Viris, quòd plures ijs noſtris temporibus, quàm par eſſet, Iuris Ciuilis arte contempta, in quo præcipuè ſita ſunt præſidia ad ſummos omnium honorum, & dignitatum gradus conſequendos, ſe ſe dedant ſtudiis Philoſophiæ, in ijsq; pręſtare omni cura, & diligẽtia contendant. Et propterea conati ſunt eiuſmodi Homines ſatis longo, & eleganti ſermone imminuere gloriam, & dignitatem Philoſophorum, ijsq; anteponere Iureconſultos, & ſummis laudibus legum doctrinã vſq; ad cœlum extollere, vt omnem in poſterum iuuẽtutem à clariſsimis Philoſophiæ ſtudiis auocarent, eamq; ad Iuris Ciuilis diſciplinam adducerent. Ego verò contra deplorandam eſſe arbitror miſeriã & calamitatem noſtrorum temporum: quòd adeò quæſtu & auaritia corrupta & deprauata ſint omnia, ut pauci admodum hac noſtra ætate reperiantur, qui ad ſacra Philoſophiæ ſtudia ſe conferant, aut ſaltem in ijs multum excellere nitãtur:

tur: quippe ferè omnes, ſiue adoleſcentes, ſiue prouectiores ætate, ad Iureconſultorum libros, tanquam ad pecuniæ, & opum vaſtiſsimum mare deferuntur, in quo ſępe ac ſępius toto ſe animo, & corpore ingurgitant. Quibus ſi aliquando obieceris, illud ſtudiũ eos ſibi delegiſſe, quod illiberalis quidem laboris, faſtidii, ac ſatietatis eſt plenum, & omnis omnino eſt eruditionis, elegantiæ, & delectationis expers; ij tibi reſponderint, ſe ſe veram ſequi philoſophiam, atq; in optimo laudis & gloriæ ſtudio verſari; cum ex vna Iuris Ciuilis exercitatione quàm plurimum lucri faciant, & ampliſsimas ſibi fortunas, & opes comparare poſsint: nos enim addent in ea incidimus tempora, quibus quæ homines arant, nauigant, ædificant, pecuniæ omnia parent. Quorum ſanè reſponſum cuipiam fortaſſe dignum excuſatione videbitur, qui multorum Principum huius temporis animũ, & mores animaduertet: ij enim cum diuitias ita colant & venerentur, ut ſummum in eis bonum ponãt, quaſi venalis ſit emenda felicitas, nullũ mirum videri debet, ſi deinde pleriq; alii, qui ab eiuſmodi Crœſis Midiſq; gubernantur, cum omnia quæſtui haberi videant, ad hunc ſolum intendant oculos, & eius gratia illiberalibus & ſordidis interdum ſe ſe artibus tradant: nam, vt præclara ea docemur ſentẽtia, Corrupti ſunt, deprauatiq; mores admiratiõe diuitiarũ. Scio autẽ illos, qui noſtro imperant tẽpore, ſi in TE, PRAESTANTISSIME COSME, tanquam in ſpeculo, rectam viuendi rationem intueri vellent, nunquam ſanè diuitias, quæ ne vllo quidem tempore ſui extingunt cupiditatem; quòd, ut aiebat Solon,

Haud eſt finis opum fixus mortalibus ullus;

tanto amore, & obſeruantia proſecutores eſſe: ſed illas hac ſolùm ratione curaturos, quò eis ad liberalitatẽ, & magnificẽtiam, ac cęteras virtutes exercendas ſatis cõmodè vti poſſent. Tu enim pecunias & opes, quas & largiſsimę fortunę manus & ſingularis tua virtus ac diligentia quotidie Tibi tribuerũt ampliſsimas, tanta ſemper moderatione animi, ac æquitate ſuſcepiſti, eaſq; ita prudenter, & magnificè diſtribuiſti, vt, quemadmodum in aliis virtutibus, quæ ad morum attinent

probitatem, hucuſq; ſuperaſti Cęteros Illuſtres & Clariſsimos Viros, ita in hac largiendi, quæ eſt valde præſtans, atq; laudabilis, parem certè habeas neminem. Verùm, ut redeã ad hanc turpiſsimam lucri iam inueteratam, & animis infixã cupiditatem, cum ex hac multa mala & incommoda proueniant, illud maximè in primis dolendum eſt: quòd ab ea præſtantiſsima quædam ingenia adeo corrumpuntur, ut cũ in liberalibus diſciplinis, & nobiliſsimis Philoſophiæ ſtudiis maximè excellere, et ſummam ac immortalem ſibi gloriam conſequi poſſent, ſeſe tota abdunt, atq; ſepeliunt in artibus inſatiabilis lucri, ex quo deinde fit, ut humaniores expolitio res literæ, optimeq; ſcientię magis indies ſeneſcant, breuiq; tempore ad nihilum venturę videantur. Huius verò prauę ac deterrimę cõſuetudinis ſi nobis cauſam perſcrutari licet, hinc eam quidem, veluti è fonte, manaſſe arbitror: quòd raro ad modum Principes horum temporum Philoſophantur, aut conſuetudine Philoſophorum gaudent, etenim ſi Philoſophorum congreſsibus, monitiſq; oblectarentur, non ita me hercle omnia pro libidine gubernarent. Verùm ſe ipſos animaduertentes miniſtros eſſe Dei Opt. Max. electos ad curam habendam hominum, & eorum pacem, ſalutemq; tuendam, ſe ipſos in primis moderarentur, atq; componerent, ut deinde lege, quæ Regina eſt omnium mortalium rerum, & immortalium, nempe ratione, recta in eorum ſemper viua & imperante animo, ſuos regerent populos, & ſimiles atq; cariſſimi ſummo Deo, cuius ſunt iucundiſsimę, & magnificentiſſimę imagines, fierent. Illi .n. maximè decipiuntur, quod Tu optimè noſti, SAPIENTISSIME DVX, qui vanam prorſus & inutilem humano generi arbitrantur eſſe Philoſophiam, etiam in priuati alicuius animo, veluti in cētro reſtrictam, ocio langueſcere, neq; in publicam ſe ſe aliorum vtilitatem transfundere: quippe quòd ea prodeſt compluribus, ſi huic aures adhibeantur, & multorum populorum mores conformat, eoſq; conſeruat in ſumma concordia & tranquillitate. Quod optimè intellexerunt Principes ſuperiorũ ætatum, cum clariſsimus ille vir Pericles Anaxagorę, Critias,

& Alcibiades Socratis, Syracuſius Dio Platonis, Ageſilaus, Cyrusq; Xenophontis, Lyſiæ Thebani ſummus vir vnus omnis Græciæ Epaminondas, Alexander ille Magnus Maximi Ariſtotelis, Cittiæi Zenonis Antigonus, Veteris Italiæ Primarij, quæ Magna Græcia dicta eſt, Pytagoræ, Marcus Antoninus Procli, atq; Traianus Plutarchi Cheronei familiaritate & colloquiis maxime delectati fuerint, & ab eiuſmodi Doctis ac Sapientibus viris artibus ac doctrinis omnibus expoliti, & agendi præcepta acceperint, & eloquendi. Veriſsima quippe, & aurea quidem eſt ea Platonis ſententia, quam in IIII. dialogo de Repub. protulit, atq; à nemine, quod à quibusdam fit, vllo pacto reprehendi, aut irrideri poteſt. *Niſi enim, ut ibi Socrates inquit, philoſophi ciuitatibus dominentur, uel ij, qui nunc Reges, potentesq; dicuntur, legitimè, ſufficienterq; dominentur, in idemq; ciuilis potentia, & philoſophia concurrant; neq; quod nunc fit, à diuerſis duo hæc tractentur ingeniis, non erit ciuitatis, uel, ut mea fert opinio, hominum generi requies ulla malorum.* Quod ſanè huius ſapientiſsimi, ac Diuini hominis dictum ea potiſsimum ratione confirmatur. Siquidem ipſi philoſophi, cum rerum aſſequendæ veritatis incredibili deſiderio conflagrent, tandem ex iis corporeis rebus ſe ſe erigunt ad Dei Op. Max. contemplationem, qui eſt ſummum bonorum omnium ſummaq; iuſtitia, atq; cum eius notionẽ fuerint conſecuti, facile deinde illis eſt ad veram iuſtitiam & bonum, ſummum & immortalem imitantibus Deum, populos, & ciuitates omnes redigere. Neq; enim aliter in ciuitates bonum introducere poſſumus, niſi, quid ſummum ſit omnium bonum, mente comprehenderimus, ad cuius tantũ exemplar humanas res debemus adminiſtrare. Tantũ porrò vim habet, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, ea philoſophia, quæ propriè in contemplatione verſatur, ad ſedãdas animi noſtri perturbationes, ac iuſtitiam in primis, & cæteras deinceps morales virtutes adipiſcendas, vt nihil ſupra dici, aut excogitari poſsit. Quid enim? ſi hæc elementa quatuor, ſi cæteras huius inferioris, & ſuperioris mundi partes deprehenderimus, mira principis illius omnium Dei prouidentia

 dentia

dentia ſibi ipſis mutuò cedere, ſe ipſa diligere ſumma lege & regula moueri, ſummum in omnibus rebus ordinem æqualitatemq; ſeruare; non ne maximum & clariſsimum lumen habebimus ad perſpiciendam, colendamq; iuſtitiam, quæ humanas actiones moderari, & continere debet? quid? ſi nouerimus diuitias & opes haud per ſe ipſas expetendas eſſe, verùm ad aliud bonum ordinari perfectius, nec non earum cupiditatem violentiſsimam quandam eſſe & inſatiabilem ſitim, vbi alia vix reperietur, ac ratio, quę ad liberalitatē ac magnificentiam vtendam nos magis impellat, & adhortetur? quid? ſi perſpexerimus indignam eſſe homine libero voluptatem, & beluarum propriam, ac omnium matrem, eſcamq; malorum, non ne temperantiam atq; modeſtiam in cunctis rebus amplexari conabimur? Similem profecto viam & apertiſsimam oſtendit nobis philoſophię contemplatio reliquas morales adipiſcendi, & exercendi virtutes. Quãobrem ſatis iniuſtè, & nimis arroganter mihi feciſſe videntur illi, qui philoſophiam non modo Iuri Ciuili antepoſuerunt, ſed illam etiam tot verborum grauiſsimis contumeliis lacerarunt, ac tanta in eam vehementia & aſperitate inuecti ſunt; ut etiam ſi viliſsima, ac deterrima artium, & ſcientiarum omnium hæc noſtra eſſet philoſophia, adhuc tamē iſtorum hominum furorem, & petulantiam vehementer accuſare poſſes. Equidem in præſentia maledicta horum extinguere, ac tot commentitias futileſq; argumētationes reiicere nō decreui (alius enim alias dabitur opportunior reſpondendi locus) ſed eos nunc tantùm rogãdos, atq; etiam orãdos duxi, ut, ſi veri ſunt atq; legitimi, neq; potius (ut utar eorũ verbis) nothi & Spurij philoſophi, amicè ac beneuolè nobiſcũ agere velint, nec tãtum odio & inuidia obcęcari permittant; atq; illud in primis animaduertant, quod eis aliàs obiectum eſt, nec adhuc planè ſublatũ, hoc nempe Ciuilis ſui ſtudium, quo ita ſe iactant atq; gloriantur, iudiciale eſſe tantum atq; forenſe, ac in regendis contractibus hominum, minimis inquã rebus, & obſcuriſsimis ſolum verſari. Neq; enim in Iureconſultorum Gymnaſijs de aliis rebus, quàm de ſtipulatio-

 nibus

nibus, de mutuis, de depoſitis, de hæreditatibus, de poſſeſſionibus, & cæteris eiuſmodi inextricabilibus, & exiguis rebus, quæ quotidie in controuerſiam à priuatis hominibus vocantur, aſsiduè diſputatur. De moribus hominum inſtituendis, de acquirendis virtutibus, de formandis Rebus publicis, atq; gerendis, de ſedandis bellis, de concilianda pace, de trãquillitate & ſumma vrbium comparanda felicitate ne vllum quidem verbum habent. Hæc vero omnia ita apertè, & luculenter à philoſophis noſtris pertractata ferunt, vt nos verè philoſophiam elegantiſsimis & aureis Ciceronis verbis matrem omnium benefactorum, beneq; dictorum, vitæ ducẽ, virtutis indagatricem, expultricemq; vitiorum, inuentricem legum, magiſtram morum & diſciplinæ, ac deniq; laudatarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem nuncupare debeamus. Neq; enim illam philoſophiæ partem, quę incumbit contemplationi, ab altera, quæ hominum mores & vitam inſtituit, quod fecerunt iſti, ſegregare decet: ſiquidem hæc ita cum priori connectitur, ut eruditiſsimi quique homines, qui in rerum contemplatione maximè præſtiterunt, iidem ſemper etiam vitæ, morumq; probitate cęteros excelluerint: quippe quòd poſtremum, & optimum cõtemplationis finem attingere non valemus, niſi probatiſsimis moribus, & virtutum ſemita ad illum perueniamus. Quamobrem caueant iſti, qui tam aſperè nobis aduerſantur, dum moralium virtutum diſciplinam ſibi arrogant, quę eſt pręcipua & propria philoſophorum, ne eos plagiaria lege conuenientes furti condemnandos inſtemus. Hęc verò quę paulo ante adduximus, diligenter & ritè conſiderent, quò totam philoſophiam frugiferam & fructuoſam eſſe perſpiciant, ac ne poſthac eam in tantam inuidiam rapiant, neq; vexent tot ignominiis & contumeliis, ac ne ſtudio ſuo in poſterum tantum tribuant, ut illud ſupra diſciplinas omnes, & artes egregiis ſummiſq; laudibus celebrandũ putent. Sed iã ſentio, PRAESTANTISSIME COSME, me vltra quàm putaram, in hac cauſa progreſſum fuiſſe. In qua re planè non vereor, quin TV, ac cæteri prudentes viri

ri me excuſeris. Ego enim cum viderem ita deiectos, ita lace ratos eſſe philoſophos, non potui (quantum huiuſce loci pe tiit occaſio) non ſummam eorum dignitatem & gloriam pro viribus meis defendere. Atq; iſtud feci quidem audacius; quòd certo ſcio, & TV melius me noſti, Sapientiſſime PRINCEPS, ipſis philoſophis, ut diuinis & ſanctiſsimis hominibus (quippe qui mentis contemplatione, & vitæ ac morum inſtitutione totius mundi principis ac moderatoris Dei valde ſimiles fiunt) præclariſsimas ſanè laudes, & maximos honores tribuendos eſſe. Nolim autem, ut aliquis, me odio, aut maleuolentia adductum, à quibus valde ſemper abhorrui, nunc putet ad Ciuilis iuris ſtudii laudem imminuendã ſurrexiſſe: ſed quia hæ meę erant partes, cum vnuſquiſq; debeat ſtudii ſui rationẽ mordicus pugnaciſsimeq; tueri. Equidem ſanctiſsimarum legum diſciplinam ſemper mirificè commendaui, neque aliquid de gloria, quæ huic debetur, vnquã detrahere contendam: immo verò grauiſsimos eos Iureconſultos, qui non tantum Ciuilis iuris doctrinæ ſe dediderunt, ut aliquam etiam philoſophiæ partem non tribuerint temporis, atq; hoc ſtudium cum altero non coniunxerint, ſummis vbique ſemper efferam laudibus, & veram iſtorum iuris ſciẽtiam beneuolentia colam ſempiterna. Quos nunquam vereor in eorum ſententia ituros eſſe, qui tantum inuidiæ, & indignationis in Philoſophiam quærunt. Illos autem, qui puram ac ſimplicem iuris ciuilis artem profitebuntur, & eam à Morali præſertim Philoſophia ſeiunxerint, quòd ex ſolis Iureconſultorum libris humanarum rerum haberi adminiſtrationem putant, haud multi faciendos ducam. Ii enim quorũ ſummam ego temeritatem ac petulantiam æquo ſemper animo tuli, ſi nimias perturbationes, & prauos animi affectus moderari, atq; ſe ipſos continere nequeunt, quo pacto moderabuntur alios, & continebunt? aut qua ratione ad gerendos magiſtratus, & Remp. adminiſtrandam adhibẽdi erunt? Illa.n. regula, quæ alia dirigere debet, ſi tranſuerſa & diſtorta fuerit, neceſſe eſt, omnia quoq; peruertat; *cum non ſit cadentis, ut Plutarchus ait, alium dirigere, nec ignorantis docere, nec incompo-*

ſiti

ſiti componere, nec ordinare inordinati, nec imperare eius, qui non pareat imperio. Sed iam tempus attingendi eſt tertiam partem diſputationis noſtræ, cùm ſatis, ſupraq; à propoſito digreſſi fuerimus. Nos igitur in hoc tertio libro quoſdam Ariſtotelis locos adducemus in mediū, qui opinioni noſtræ aduerſari videtur; & quæ ex iis emanare difficultates ſolent, omnes pro viribus remouere conabimur. Tandem vero, quam nos Chriſtiani Orthodoxi de animorū noſtrorum immortalitate ſententiam debemus tenere conſtanter, & ſumma pietate ac religione tueri, à me breuibus explicabitur; & qua ratione potiſsimum, cùm iam Chriſtianam philoſophiam, quæ ſolùm vera eſt, in primis colamus & veneremur, Ariſtotelis, aliorumq; Philoſophorum principijs occurrere, & eorum fundamenta prorſus euertere poſsimus. Ita enim fore arbitror, Optime, ac Integerrime PRINCEPS, vt ea me ſaltem boni ac probati viri prǽſtitiſſe cognouerint, quæ cū mea DEO OPT. MAX. debita fides & pietas; tum maximus nitor & ſplendor ſincerǽ illius, planeq; ab omni fuco & labe remotæ religionis, ac ſanctitatis tuæ poſtulare videntur.

LOCVS IN PRIMO CAP. PRIMI DE PART. *Animal. qui uidetur innuere immortalitatem, explicatur. Cap. I.*

VT ordinem à nobis propoſitum obſeruemus, eos primùm explicabimus locos, qui ſententiæ noſtrę, quam protulimus de intellectu Potentia, repugnare videntur: ac paulopoſt rationes diluemus Aduerſariorum, quibus alteram opinionem noſtram de Agente intellectu deſtruere conãtur. Cum autem plures ex variis Ariſtotelis Commentarijs loci af ferri ſoleãt ab ijs, qui ex eius ſententia immortalitatem ſtruere contendunt, nos eos tãntum ponderare decreuimus, qui maiorem vim pro Aduerſariis habere videbuntur. Et quan quam illuſtres ac ſummi Peripatetici, vt Theophraſtus, Alexandrinus, & Hermeas Ammonius, Olympiodorus, Themiſtius Euphrada, Simpliciuſ, Auerroes, Ioannesq; Grammaticus tantam adhibuerunt fidem ijs locis, vt Ariſtotelem tenuiſſe immortalitatem planè crediderint: ipſe nihilominus à tantorum virorum explicatione longè recedere non dubitabo, cum ex altera parte præter Aphrodiſienſem Alexandrum, Plutarchum Chæroneum, atq; Galenum habeã Philoſophos, ac Theologos præſtãtiſsimos, nempe Iuſtinum Martyrem, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nicenum, Origenem, ac Theodoretum Epiſcopum, qui omnes licet eiuſmodi viderint loca, attamen conſtanter aſſeruerunt, Ariſtotelem illius fuiſſe ſententiæ, vt verè putauerit animos noſtros eſſe mortales. Vt igitur ad rē ipſam aggrediar, poſtquam Ariſtoteles in primo de Partibus oſtendit, neceſſe eſſe Naturali Philoſopho de anima pertractare, quoniam ea eſt animalium forma; dubitat, an ad Naturalem pertineat de omni anima diſputare. Quam paulopoſt explicans difficultatem ait, Naturalis munus eſſe philoſophi, de ea anima tantùm agere, quę ſit Natura; & alicuius principium motus exiſtat. Cum verò mens non ſit eiuſmodi, ſed res à materia ſegregata, de ea Naturalis diſſerere nequit. Ex ijs igitur verbis Aduerſarii volunt elicere, intellectum noſtrum eſſe immortalem

talem: quippe quòd Ariſtoteles cum negauerit eſſe Naturã, & affirmauerit liberam eſſe formam atq; ſolutam à concretione materiæ. Verùm (ut ſupra etiam iii. cap. primi libri notauimus) nullam ex hoc loco poſſumus animi noſtri deducere æternitatem. Siquidem hîc Ariſtoteles voce intellectus propriè non accipit humanum intellectum, ſed æternam ac ſeparatam mentem, & de hac potiſsimum ambigit, an ſcilicet, quemadmodum Naturalis agit de ea anima, quę eſt natura, & finis naturalis motus; ita etiam propriè & per ſe de altera anima, quę eſt ſeparata à materia, diſputare queat. Atq; hanc à naturali conſideratione ſeiungit: propterea quòd, ſi vtranq; animam & vtrunque intellectum, nempe intellectũ poſsibilem & materialem, qui finis eſt naturalis motus, ac intellectum ſeparatum Naturalis per ſe ac propriè cognoſceret, inanis quidem & ſuperuacua Diuina eſſet Philoſophia, quæ huius ſeparati intellectus tractatione maximè à Naturali diſiungitur. Hanc porrò veram & germanam eſſe huius loci explicationem, hinc facilè patere poteſt. Ariſtoteles enim hunc intellectum, quem ſegregat à Naturali contemplatione, aſſerit nullius principium eſſe motionis, in nullisq; animalibus reperiri. Atqui cui dubium eſt nos, qui ſumus animalia, aliquo præditos eſſe intellectu? & quis negauerit, hunc eſſe motus initium, ſi ille eſt, quo intelligimus, quæ ſanè actio abſq; motu & alteratione nequit abſolui, cum dixerit Ariſtoteles, ipſum intelligere ſicut ſentire eſſe, & cum quadã in nobis gigni paſsione? Præterea quo pacto Ariſtoteles hôc in loco tractationem intellectus noſtri adimit Naturali Philoſopho, ac deinceps in commentariis de Anima, qui inter Naturales omnino libros collocantur (ut ſupra cap. paulo ante citato probauimus) propriè ac per ſe de eodem tractat? Nullũ quippe alium inueneris locum, vbi Ariſtoteles vim & naturam intellectus noſtri propriè nobis explicáuerit. Quod iure ſanè optimo factum eſt: ea enim omnia, quæ alicui motioni ſubiecta ſunt, ad Naturalem pertinent contemplationem, niſi falſam in vi. Diuinę Philoſophiæ volueris diſtinctionem eſſe ſcientiarum. Porrò hîc Ariſtoteles in quæſtionis diſſolu

tione

tione diuinam ac ſeparatam formam appellat mentem, quã antea in eiusdem propoſitione ſub nomine comprehenderat animæ. Quod ſi alicui mirum videbitur, is eundem conſpiciat Philoſophum in i i. contex. v i. Primæ Philoſophiæ, vbi, poſtquam oſtendit eam eſſe Naturalis Philoſophi definiendi rationem, vt vnà cum forma ſemper aliquid materiæ complectatur, ſimilem ferè ſententiam profert dicens. *Quam obrem ad Naturalem Philoſophum pertinet de aliqua anima contemplari, quæ non ſine materia eſt.* Sed huic iterum ſententiæ valde conſonũ eſt aliud Ariſtotelis dictum in x x vi. contex. i i. Phyſicæ Auſcultationis, vt videas apertius interpretationem noſtrã cæteris eſſe probabiliorem. Igitur ibi Philoſopus Naturalem animaduertit, in formæ contemplatione vſq; ad notionem finis progredi debere, & eius tantùm formæ naturam conſiderare, quæ à materia ſolùm ratione diſiungi queat: ſeparatam verò formam, quo ad quæſtionem quid eſt, relinquendam eſſe Diuino Philoſopho. Quod rurſus in initio v i. Poſtnaturalis Philoſophię apertiſsimè teſtatur, vbi afferit, Naturali Philoſopho magis notioni formæ, quàm materię incumbendum eſſe, & formæ, quæ à materia nequeat ſeparari. Iam verò, ſi hoc in loco Auerrois Sectatores, atq, Simplicij adeò ſint pertinaces & opinioſi, ut adhuc velint terminum Naturalis contemplationis humanum eſſe intellectum, ita tamen, vt de eo quæſtio tantùm ſi eſt explicetur à naturali Philoſopho, nobis ij debent oſtẽdere, quo in loco Primę Philoſophię, quid ſit humanus intellectus, nos docuerit Ariſtoteles. Sed iam alterum locũ eiuſdem libri de Partibus animaliũ perpendamus.

ALTER LOCVS IN IIII. LIBRO DE *Partibus x. cap. declaratur. Cap. I I.*

ARISTOTELES in i i i i. libro de Part. cap. x. habet hæc verba. *Sed homo uice pedum priorum, brachia, &, quas manus dicimus, habet: ſolus enim animalium omnino erectus eſt, quoniam eius natura atq; ſubſtantia diuina eſt. Officium autem diui-*

ni eſt intelligere atq; ſapere. Quibus ea ſimiliter verba ſubiungere poſſumus, quæ in ii. de Generatione Animal. cap. iii. & x. Ethicorum cap. vii. ſcribuntur, vbi Philoſophus humanam mentem diuinam vocat, diuinamq; ab ea inquit vitam proficiſci. Ex qua quidem voce diuinitatis viſus eſt Ariſtoteles animi noſtri immortalitatem ſignificaſſe: nam & iii. Phyſicorum xxx. contex. & C. primi de cœlo cõentarii quod eſt principium incorruptibile & immortale diuinum vocat. Cæterum illud à nobis aduertendum eſt, ſolo diuinitatis nomine nos non poſſe vllius rei immortalitatẽ aſſerere: ſiquidẽ Ariſtoteles non modò loquens de ſeparatis ac immortalibus formis, & cœleſtibus globis vſus eſt diuini vocabulo, ſed in caducis etiam & mortalibus rebus. quippe qui voluit præter naturalem formam à corporibus cœleſtibus virtutem quandam rebus; quæ hîc oriuntur, communicari; cuius ratione hæc caduca diuina etiam nuncupantur; tametſi non æque omnia, ſed quædam clarius, aliqua verò obſcurius eam participare videntur. Quod tibi oſtendit Philoſophus cap. v. primi de Partibus Animal. vbi ſententiam probans Heracliti, in minimis inquit, & viliſsimis etiam rebus, quæ hîc gignuntur, Naturæ numen, honeſtum pulchrumq; ingenium, & quandam apparere diuinitatem. Atq; iterum in ii. de Generatione Animal. cap. iii. ſubiungit hæc verba. *Sed enim omnis animæ ſiue uirtus, ſiue potentia corpus aliud participare uidetur, idq; magis diuinum, quàm ea, quæ elementa appellantur. Verùm prout nobilitate, ignobilitatè ue animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt*. Quo ex loco apertè colligimus elementa, ac cætera omnia corpora naturalia, quò perfectiorem, aut minus perfectam ſortita fuerint temperationem, eò magis, minusuè cœleſtis huiuſce virtutis, ob quam diuina vocantur, participare. Quamobrem cum homo, vt in ii. de Generatione ſcribitur Animalium, ob ſanguinis cordis maximam puritatem nobiliſsimum omnium temperamentum, & animam obtinuerit; idcirco ab eodem Philoſopho x. cap. primi de partibus dictum eſt, hominem cunctorum animalium maximè diuinitatis eſſe participem. Porrò fundamentum ſatis debile

iaciunt qui ex ſolo diuini vocabulo oſtendere voluntanimorum noſtrorum æternitatem ; nam in fine quiuetiam primi Phyſicorum omnem, quam materies appetit formam, ac ſibi pro fine naturali conſtituit, dininam vocat Ariſtoteles. Immo verò ſi eiusdem verba Philoſophi rectè conſideraueris, quæ ſupra ex x. cap. iiii. de part. adducta ſunt ad ſententiam noſtram labefactandam, intellectus noſtri mortalitatem apertè conſpexeris. Ibi enim dicens Ariſtoteles, *Solùm animalium omnium hominem erectum eſſe, quoniam eius ſubſtantia atq; natura diuina eſt: officium autem diuini eſt intelligere ac ſapere; quod nõ facile eſſet, ſi uaſta corporis moles aſsideret: pondus enim & tardiorem reddit & mentem, & ſenſum communem*; nil ſanè aliud nobis oſtẽdit, niſi intellectum naturalem eſſe hominis finem, eumq; ab humani corporis temperamento proficiſci. Quibus ut maiorem fidem adhibeas, ea tibi legenda ſunt, quę in ii. eiuſdẽ de part. cap. fuerunt ante prolata, quæ ſunt eiuſmodi. *Homo unus erectus eſt: quoniã cordis, & pulmonis locum calidiſſimum, et ſanguinis refertiſsimum habet.* Etenim hic efficientem cauſam & naturalem rectę hominis figuræ nos docet, quam aſſerit cordis eſſe, ac pulmonis ſanguinem multum, atq; puriſsimum: deinde verò in iiii. libro cap. adducto huius naturalis cauſæ finem, qui naturalis item debet eſſe, nobis ſignificat, hũc eſſe dicens intellectum hominis, diuinam ſanè ſubſtantiam. ſimiliter ex x. Ethicorum Commẽtario, vbi humanam mentem diuinam vocat, mortalitatem potius deducimus. Cum enim ibi Philoſophus eis reſpondere vellet, qui monebant nos, cum ſimus homines atq; mortales, pariter humana tantùm atq; mortalia ſapere curareq; debere, inquit, nobis, quanquam mortales ſumus, omni tamen cura & diligẽtia enitendum eſſe, ut quoad eius fieri poſsit, euadamus immortales, & eam degamus vitam, quam mens, res quidem in nobis præſtantiſsima, nobis ſuppeditat. Concedit igitur nos eſſe mortales; attamen debere nos conari, ut, quoad iſtud natura humana præſtare poteſt, ſimiles Dijs euadamus: quòd ſanè mẽtis agitatione conſequimur, quę hominis videtur naturam excedere, qui eſt politicum animal, ac propriè in ſingularium

rerũ cognitione verſatur, Ariſtotelis autem verba hæc ſunt. *Quòd ſi mens diuinum ad ipſum hominem eſt, et uita, quæ ab hac manat, diuina eſt reſpectu ipſius uitæ humanæ. Oportet autẽ non quemadmodum monent quidam, humana nos ſapere, cum ſimus homines, aut mortalia, cũ ſimus mortales, ſed, quoad fieri poteſt, immortales nos ipſos facere, cunctaq; efficere, ut ea uita uiuamus, quæ ab eo manat, quod eſt eorum, quæ in nobis ſunt, præſtabiliſsimum.* Si igitur Ariſtoteles animi noſtri tenuiſſet æternitatem, haud me hercle dixiſſet, mentem cũ natura humana cõparatam eſſe diuinam: ac ea quidem ratione illis reſpondiſſet Philoſophis, nos vtiq; debere ſapere & curare immortalia; quoniã immortales ſumus; quæ facilis & clariſsima erat reſponſio. Illud præterea nobis credendum eſt, ſi Ariſtoteles intellectus noſtri probaſſet ęternitatem, eiuſmodi quidem vocem nequaquam ei fuiſſe prætereundam, dum in i i i. Animæ commentario naturam humani explicat intellectus: ea enim quæ immortalia ac ſempiterna eſſe Philoſophus exiſtimauit, talia vbiq; probauit eſſe vtẽs eiuſmodi vocibus, quæ apertiſsimè æternitatem ſignificant. Vnde cum quatuor ſint in mundi vniuerſitate apud Ariſtotelem, quæ nunquam orta ſunt, nec vllo etiam interitura ſunt tempore, prima nimirum materies, cœleſte corpus, eiuſdem circuitus atq; conuerſio, nec non Beatæ Mentes eiuſmodi initia motionis, hæc ſingula planè æterna ac perpetua ab eo vocata eſſe perſpicies, vbi eorum nobis naturam tradit. Nunquam autem inueneris in i i i. libro de Anima ęternum fuiſſe dictum intellectũ noſtrum: propterea quod in x x. contex. vbi Philoſophus inquit, *Separatus autem eſt ſolùm hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale atq; perpetuum,* de Agente intellectu ſermonem habet. Si verò præter hunc tertium de Anima librum, quĩ proprius eſt huius contemplationis, Ariſtoteles alijs quibusdam in locis æterni, ſiue perpetui fuerit vſus vocabulo, vel confuſè de vtroq; intellectu, vel ſi de noſtro locutus eſt, affirmatiuę nunquam, at ſemper verecundè dubitãterq́, eiuſmodi voces de eo pronuntiauit. Quod quidem ſequentibus dictis magis aperire conabimur.

Alius

ALIVS LOCVS LXV. ET LXVI. *contex. primi de Anima declaratur.* *Cap.* III.

QVoniam poſt libros de partibus commentarii de Anima collocantur, iccirco nunc ea expendenda ſunt diligenter, quæ in iis aliquo modo videntur innuere immortalitatem. Ariſtoteles igitur in LXV. & LXVI. contex. primi de Anima ſcribit hæc verba, ut ea vir doctus in primis, & elegans Argyropilus conuertit. *Intellectus autem aduenire uidetur, & ſubſtantia quædam eſſe, ac non corrumpi: nam ab ea maxime, quæ in ſenectute fit, obfuſcatione corrumperetur. nunc autem perinde fit, atq; in ſenſuũ inſtrumentis. Etenim ſi ſenex talem acceperit oculum, uideret ſicut et iuuenis. Quare ſenectus, non quia anima quicquam eſt paſſa; ſed quia id, in quo eſt, aliquid paſſum eſt, quemadmodum in ebrietatibus, & morbis fieri ſolet. Et ipſum igitur intelligere ac contemplari marceſcit, quia aliud quoddam intus corrumpitur; ipſum autem paſsione uacat: ratiocinari uero, & amare, & odiſſe non ſunt illius affectus, ſed huiuſce, quod habet illud, ea ratione, qua illud habet. Quapropter & hoc corrupto nec recordatur, nec amat: non enim illius, ſed ipſius communis, quod quidem periit. Intellectus autem diuinum quid eſt fortaſſe, paſsioneq; uacat.* Porrò Ioannes Grammaticus, & Iuniores quidam noſtræ ætatis Philoſophi iis adeo ſunt verbis inflati, vt planè aſſeruerint hîc intellectus noſtri æternitatem apertiſsimè demonſtrari, & in eos, qui ſunt alterius ſententiæ, inuecti magnopere fuerint. At doctius, magiſq; prudenter in huius loci explicatione mea quidem ſententia Themiſtius, ac Beatus Thomas ſe geſſerunt: quorum cenſuit alter, Philoſophum hîc dubitandi potius ac diſſerendi gratia, quàm ex ſententia & propoſito quicquam decernendi, locutum eſſe. Alter verò inquit, eundem ex veterum opinione Philoſophorum illud ſatis tritum atq; vulgatum aſſumere, omnem nimirum animam eſſe incorruptibilem, ut adhuc probet, animæ functiones nequaquam ſolius animę, at totius eſſe compoſiti. Equidem arbitror, hos duos contex. ita cum ſuperioribus

bus eſſe connectendos, vt in iſtis Philoſophus, quod paulò ante de actionibus ſenſuum oſtenderat, has ſcilicet vel non eſſe motiones, aut ſi motiones admittantur, non eſſe tamen ſolius animæ, ſed compoſiti; idem ſanè de intellectus operatione probare velit, quò tandem, vt factum eſt, animam noſtram non moueri, ab eo concludi poſsit. Quamobrem in ijs duobus context. illud habemus certiſsimum, intelligere & contemplari eſſe communes animi, & corporis operationes, neq; ſoli intellectui tribuendas, & hac de cauſa poſt interitum hominis nec intellectum noſtrum recordari, nec amare, nec quicquam aliud agere, aut pati poſſe: hæc enim ſunt apertiſsima verba Philoſophi, quæ pertinacibus repetenda ſunt. *Rationem uero, & amare, & odiſſe non ſunt illius affectus, ſed huiuſce, quod habet illud, ea ratione, qua illud habet. quapropter & hoc corrupto nec recordatur, nec amat, non enim illius, ſed communis, quod quidem periјt.* De immortalitate verò nihil planè certi colligere poſſumus: nam dicant mihi, obſecro iſtos, qui hoc in loco adeò contra nos geſtiunt, & efferuntur, valet ne hæc cõſequentia, intellectus non patitur patiente corpore, igitur eſt immortalis? Non ne vident Dij boni (quod Themiſtius animaduertit acuto & perſpicaci quidem ingenio Philoſophus) nos eadem ratione poſſe ſentiendi animam ab interitu vendicare? Quinimmo ſi hic diligenter aduertas, ad illud videtur intendiſſe Philoſophus, ut item ptobaret ſecundum ſe vim ſentiendi eſſe impatibilem. Sed etiam fac Ariſtotelem hic præter rem & propoſitum de animi noſtri immortalitate diſſeruiſſe; adhuc tamen nihil certi ratiq; habebis, cum ille in LXVI. particula ſatis verecundè dubitanterq; concludens hæc habeat. *Intellectus autem diuinum quid eſt fortaſſe, paſſioneq; uacat.* Quę me hercule verba ea ratione protulit Ariſtoteles, quoniam ſemper ferè vſq; ad tertium librum de Anima de intellectu dubiè & confuſè locutus eſt, haud noſtrum diſtinguens ab altero, ἐνέργεια, vel Agens qui dicitur; nec verò, ut inquit Philoſophus, quoniam hic nondum perfectè demonſtrauerat æternitatem.

Verba

VERBA XCII. CONTEX. PRIMI *de Anima explanantur. Cap. IIII.*

ALTER eſt locus in fine primi de Anima commentarii, quem inquit Ioannes Grammticus conſultò ab Alexandro fuiſſe prætermiſſum, quòd cum hic pro parte ſua nullam explicandi rationem habuerit. Sed facilè à nobis Philoponi reprehendi pertinacia, & Alexandri calumnia coerceri poterit. Ariſtotelis verba hæc ſunt. *Dubitabit autem aliquis & de ipſius partibus, quam potentiam habeat una quæq; in corpore. ſi enim tota anima totum corpus continet, conuenit & partium unam quamque continere aliquid corporis. hoc autem aſſimilatur impoſſibili; quā enim partem, aut quomodo intellectus continebit, difficile eſt etiam fingere.* Profectò hic ea in re verſatur Ariſtoteles, vt Platonis ſententiam reiiciat de animę partitione, ac pluribus & diuerſis iſtius partibus, quas eius ſingularis doctor in pluribus item ac diuerſis corporis ſedibus collocabat. Quare cum eiuſmodi opinionem eo debilitauerit, quòd, ſi anima ex diuerſis partibus ſubſtantijsq; conſletur, illud quærendum erit, quod eas in vnum cōgreget, & contineat: atq; cum tale nequeat eſſe corpus, ſed debeat eſſe anima, quæ nobilior eſt corpore, iterum percontari oportebit de eiuſmodi anima, an ſit vna, vel in plures item partes diuidatur, & ita vel ad priorem animam reuerti, vel in infinitatem animarum ingredi neceſſe erit; iterum in præſenti particula alia occurrit ratione Platoni, & ſupponēs illud, quod paulò ante pro certo ratoq; acceperat, nimirum corpus ab anima contineri, inquit, ſi tota anima totum continuerit corpus, & diuidua fuerit, in pluresq; ac diuerſas partes ſegregata, ſanè neceſſe erit, vt vna quæq; ſimiliter eiuſmodi partium propriam ſibi corporis partem aſſumat, atq; contineat. Cæterùm, addit Philoſophus, hoc fieri non poſſe videtur: ſiquidem arduum ac perdifficile eſt inuenire, quam intellectus noſter, qui etiam pars animæ dicitur, peculiarem ſibi partem aſſumpſerit, & eam contineat. Verùm hoc non modò valde difficile eſt; ſed nullo etiam pa-

cto fieri poſſe in tertio deinde libro probatum fuit: etenim cum intellectus noſter ſecundum ſe nullum habeat actum, ſed pura ſit ſimplexq; potentia, nullam potuit obtinere corporis partem, quam informet ille, atq; contineat. Iam verò illud non ſequitur, quod ex hoc loco ita audacter Ioannes deducit Grammaticus, vt intellectus noſter, ſi nullã corporis partem informet atq; contineat, & ſit ab omni corpore ſeparabilis, æternus appellari debeat, ac nullum vnquam ſit paſſurus interitum: quoniam pluribus modis res ſimplex dicitur à corpore ſeparari, vt in ſequenti cap. repetemus.

ALII DVO LOCI IN II. EXPLICANTVR *Animæ commentario. Cap. V.*

QVanquam eadem propè ratione, quam in iii. cap. adduximus, tollitur omnis difficultas, quę in quibusdam locis ſecũdi libri de Anima mortalitatem offendere videtur: nos tamen, ne aut negligentiæ nomine ſuſpecti ſimus, vel Aduerſariorum aculeos ſubterfugere videamur, alios duos contextus afferemus in medium, & veram, germanamq; eorum ſententiam breuiter aperiemus: In ii. igitur Animæ commentario xi. contex. profert hæc verba Philoſophus. *Animam igitur non eſſe ſeparabilem à corpore, uel partes ipſius nonnullas, ſi partibilis ſit, non obſcurum eſſe uidetur: corporis nanq; partium patet, aliquas animæ partium actum eſſe. Nil tamen uetat, ut aliquæ partium ſint ſeparabiles animæ, propterea quod corporis nullius ſint actus: at obſcurum eſt, nec dum patet, ſi perinde corporis anima ſit actus, ut gubernator actus eſt nauis.* Ac deinde in xxi. contex. hæc iterum ſcribit. *De intellectu uerò, contemplatiuaq; potentia nondum quicquam eſt manifeſtum: ſed uidetur, hoc animæ genus eſſe diuerſum, & hoc ſolum poſſe ſeparari, ſicut perpetuum à corruptibili.* Cæterum ut ad contex. xii. redeamus, apertiſsima eſt huius loci interpretatio, ſi ea in memoriam noſtram redigamus, quæ à nobis iamdudum, & fuſius cap. vi. ii. libri dicta ſunt, cum intellectus noſtri naturam explicauimus. Hic

enim

enim cum nullus propriè ſit actus, ſed pura nudaq; poteſtas, ullam corporis partem informare nequit. Ex quo de inde factum eſt, ut ſimplex, immixtus, ac ſeparabilis ab Ariſtotele fuerit nuncupatus, ea nempe ratione, quia ad nullum affixus eſt organum, quod informet, vt reliquis animæ partibus euenire conſpicimus. Atq; in hoc xi. contex. Philo ſophus χωριςτόν in eiuſmodi quidem accepit ſignificatione, quanquam in xiii. primi libri particula, & in xxii. huius ſecundi eadem voce aliud diuortii genus intellexit. Triplici enim ratione apud Ariſtotelem, ſi eius verba ritè conſiderentur, vires & partes animæ ſeparari dicuntur, primo quidem modo cum eas viciſsim conferentes inquirimus an ſubiecto & loco inter ſe diſiungantur. & hac ſanè ratione nullæ ſunt ſeparabiles, ſed omnes ſimul idem habēt ſubiectūm, & ſola inter ſe ratione diſtinguuntur, ut præcipuè cōtra Platonem in xxii. contex. ii. de Anima probauit Ariſtoteles; & ita intellectus nequit à corpore ſeparari. At ſecundo deinde modo poſſumus intellectum cum ſenſu, & reliquis animæ viribus comparare ſcrutantes, an habeat proprium & peculiare organum, quod informet, & quo miniſterio inter operandum vtatur; quo ſanè pacto hic dicitur à corpore & ſubiecto ſeparabilis, quoniam nullo corporeo vtitur organo, vt reliquę faciunt animæ vires atq; potentiæ. qua eadē ratione, ſcripſit Philoſophus, eum non eſſe calidum, vel frigidum, ſed ſimplicem, immixtum, & impatibilem: quippe qui neq; ſui, nec organi ratione vlla affici paſsione poſsit. Tertio verò modo perſcrutari nobis licet, an intellectus liber & ſolutus ab omni concretione materiæ æquè, ac ſempiterna forma & immortalis, à cæteris animæ partibus, & caducis rebus ſeparetur, quod tantùm de Agente intellectu verè affirmari poteſt: falsò enim ſemper ex Ariſtotelis ſententia intellectui Potentia immortalitatem aſcripſeris. Cęterum intellectus noſter quamuis omnis omnino formæ ſit expers, ac poteſtatis ſolam naturam poſsideat, ea tamen ratione ſub communi animæ definitione comprehenditur (quod ſupra etiā in ii. libro notauimus) quoniam perinde, ac nauta nauis,

dicitur corporis actus; cum ille ſit, cuius ratione intelligimus & opinamur, quemadmodum nauis gubernator in cauſa eſt, ut nauis moueatur, ac recto curſu portum attingat. Quoniam verò naturam adhuc intellectus noſtri Philoſophus nobis non explicauerat, idcirco dixit hucuſq; non eſſe perſpicuum, quo modo intellectus noſter actus ſit corporis: quippe hoc ex definitione animæ non apparuerat, quæ ſolùm oſtēderat nobis omnem animam, aut aliquas ipſius partes non eſſe à corpore ſeparabiles, cum actus in propria ſemper materia inſint, & ſine ea exiſtere nequeant. Porrò hîc ſimplicii, Auerroiſq; Sectatores aliter explicant hanc intellectus noſtri, ac nautæ ſimilitudinem, cum intellectum eſſe formam omnino à corpore ſeparatam, & cum hoc tanquam mouentem cauſam ſolùm exiſtiment copulari. Cæterum hæc opinio, quæ platonicam nimis redolet philoſophiam, nec ſupra vllo Ariſtoteleo fundamento firmari poteſt, ſatis ſuperq; à nobis exploſa eſt primo libro huius noſtræ diſputationis. Iam verò ad ſequentia x x i. contex: verba deſcēdimus; quæ etiam ſi adſint omnia, ut leguntur, quod noluit Alexander, & de intellectu noſtro Potentia ea ratione, qua ſpeculatiuus dicitur, intelligantur, adhuc tamen nihil certi pro Aduerſariorum opinione concludi. poteſt. Nam cum paulò ante probaſſet Ariſtoteles indicio à ſenſu deducto, alēdi, ac ſentiendi animæ vires inter ſe loco & ſubiecto minime ſeparari, poſtea de intellectu ſpeculatiuo ambigit dicens, adhuc nobis ignotum eſſe, an à reliquis partibus animæ loco, & ſubiecto diſiungatur: quoniam hic aliud animæ genus eſſe videtur, & ſicut perpetuum à corruptibili ſeparari: cum enim nullius forma ſit corporis, neq; in vlla corporis parte, veluti in organo proprio, reſideat, ac præterea non in ſingularium, ſed in vniuerſalium rerum cognitione verſetur, ad beatarum mentium & immortalium dignitatem propè videtur accedere. Doctus, & valde perſpicax Alexander hæc verba præcipuè ad intellectum Agentem applicauit, quæ plana eſt, ac fortaſſe tutior interpretatio. Illud equidem fateri poſſum, eiuſmodi verba tanta cum verecundia & hæſitatio-

ne à

ne à Philoſopho primùm fuiſſe prolata, quoniam in primo dixerat libro, in aliorum ſententiam quaſi deſcendens, laborioſum eſſe, intellectum coniunctum eſſe cũ corpore, neq; abſolui ab eo poſſe, & inſuper maximopere fugiẽdum: quippe cum melius ſit intellectui non eſſe cum corpore, quemadmodum & dici ſolet, & complures ſanè conſentiunt. Atq; iterum in fine eiuſdem libri, quam corporis partium intellectus, aut quo pacto eam continebit, fingere quoq; difficillimum eſſe. deinde verò, quoniam nondum præcipue de intellectu noſtro diſſeruerat, nec eum ab intellectu Agente ſecreuerat, qui eſt puriſsimus actus, & immortalis. Atqui poſt hanc dubiam ancipitemq; ſententiam ſtatim in ſequenti cõtex. ſuam tibi mentem aperit Ariſtoteles, ne amplius hæſites; verùm, ſi propriè de intellectu noſtro Potentia, nec de altero, ἐνέργεια qui dicitur, ſermonem habeas, clariſsimè videas, an ſubiecto & loco à cæteris partibus animæ diſtinguatur. Quare in xx. illo ſecundo contex. apertiſsimè nobis oſtendit, intellectum noſtrum in eodem firmari ſubiecto cũ reliquis animæ viribus, & ratione ſola ab eis ſeparari. Cuius quidem verba contex. ſupra cap. v. ſecundi libri diligenter à nobis fuerunt examinata. Igitur tantùm abeſt, vt vllam ex hoc loco ęternitatem deducere poſsimus, ut potius aperte palamq; comprehẽdamus intellectum noſtrũ à reliquis partibus animæ ſeiungi non poſſe, & caducã eſſe rem, atq; mortalem.

LOCVS IN III. DE ANIMA declaratur. Cap. VI.

NVNC ea attingimus loca, quę præcipuè ſunt humano intellectui dicata, & idcirco ſunt etiã pluris facienda ab iis, qui immortalitatem acerrimè tuentur. Hęc igitur ſunt verba Ariſtotelis, ut ea è Græco in Latinum optimè conuertit Antiquus interpres in xv. & xvi. tertii de Anima contextu. *Et ipſe autem intelligibilis eſt ſicut ipſa intelligibilia: in iis*

enim quæ ſunt ſine materia idem, eſt quod intelligit, & quod intelligitur: ſcientia nanq; ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt (cur autē non ſemper intelligat, cauſa conſideranda eſt) in habentibus autem materiā potentia ſolùm eſt unum quodq; intelligibilium. quare illis quidē non inerit intellectus: ſine materia enim pontentia eſt intellectus talium. ille autem intelligibile erit. Porrò in huius loci explicatiōe & Græci, & Iuniores etiam Peripatetici magnopere ſe inuoluiſſe, & lōgè ab Ariſtotelis ſcopo aberraſſe videtur. Nā Simon Portius cum cæteris prçferat Alexandri interpretationē, neq; verba Ariſtotelis, vt decet, inter ſe nectit, neq, cauſam, ob quā haud ſemp ſe ipſum intelligit intellectus noſter, afferre poteſt. Ego verò ſententiā horū contextuū breuibus aperiā, quemadmodum Vir ſummus in maximarum rerū ſciētia Madius meus (quem ſemper honoris cauſa nomino) eos quondā interpretari conſueuit: ac deinde arbitror nobis perſpicuum fore, parum ut, aut nihil propè ſententię noſtrę hic locus aduerſetur. Cum igitur Ariſtoteles de intellectu noſtro ea ratione, qua rudis eſt ac pura ſimplexq; potentia, nec nō, quatenus factus eſt ſimilis homini ſcienti, differuiſſet, in x i i. ac x i i i. contex. duas mouet difficultates, quarum prior magis intellectum rudem & in potentia, altera verò intellectum, qui in habitu, ſiue ſecundum actum appellatur, reſpicere videtur. Sanè ea prior eſt dubitatio. Cum dictum ſit intellectum noſtrum ſimplicem eſſe, & impatibilem, nihilq; (vt aiebat Anaxagoras) cum re vlla prorſus habere commune, quo modo ex altera parte is intelligere dicetur, ſi intelligere eſt quoddā pati? hęc enim inter ſe pugnant: propterea quòd ſi patiendo intelliget, naturam planè mixtam, nec ſimplicem habuerit. ſed prior hęc difficultas, cum nihil ad rem noſtram pertineat, à nobis ſilentio præteriri poteſt. Igitur in x i i i contex. rurſus quærit Philoſophus, an intelligibilis ſit intellectus noſter, & bipartita argumentatione probat, eum non eſſe intelligibilem: quoniam ſi intelligibilis fuerit, vel ea ratione, qua intellectus eſt, fuerit intelligibilis, & ita, cum intelligibile ſit vnum ſpecie, in omnibus pariter, quę dicuntur intelligibilia, inerit intellectus; vel intelligibilis fuerit, vt reliqua

materiata ſunt, atq; caduca. Cæterum hæc cum gratia formę in eis repertę intelligātur, igitur intellectus ex materia, & forma conſtabit, nec erit ſimplex & immiſtus, ut ſupra decretum fuit. Hęc ſecunda eſt difficultas, quam paulò poſt in xv. contex. ita remouet Ariſtoteles dicens, intellectum eſſe quidem intelligibilem, ſed vt ipſa intelligibilia, nimirum vt beatæ, ac ſempiternę mentes. Etenim per hęc verba *ſicut ipſa intelligibilia* non debemus interpretari materialia, ſed immortales, ac diuinas mentes, quæ verè ſunt intelligibilia, & dicuntur. Neq; prorſus ridicula (quod cenſuit, neſcio qua ratione, Portius) nec extra propoſitum eiuſmodi fuerit explicatio. Nam ex duobus ſupra poſitis membris alterum negat Ariſtoteles, ſcilicet intellectum eſſe intelligibilem, vt reliqua materialia, ſed eum vult eſſe intelligibilem, vt vera intelligibilia, quæ formæ dicuntur ſeparatę. Quod clariſsimè oſtēdit hęc ſtatim pro ratione ſubiungens. *In ijs enim quæ ſunt ſine materia, idem eſt, quod intelligit, et quod intelligitur: ſcientia nanq; ſpeculatiua, et ipſum ſcibile idem eſt (cur autē non ſemper intelligat, cauſa conſiderāda eſt) in habentibus autem materiam potentia ſolùm unum quodq; eſt intelligibilium. quare illis quidem non inerit intellectus: ſine materia enim potentia eſt intellectus taliū: ipſe autem intelligibile erit.* Quæ ſanè omnia præter rem fuerint pronunciata, ſi ſtatuerimus intellectum noſtrum eſſe intelligibilem, vt reliqua materialia. Intellectus ergo (hęc enim eſt eiuſmodi verborum ſententia) eſt intelligibilis, quatenus intellectus, atq; vt vera ſunt intelligibilia: quoniā nulla materia eſt implicatus, ſed actu intelligibile eſt, neq, Agente intellectu indiget, qui eum actu reddat intelligibile, ſicut intelligibilia poſtulant materialia. Quamobrem in intellectu noſtro idem eſt res intelligens, & intellecta; nec inde ſequitur, vt reliqua intelligibilia omnia habitura ſint intellectum: quoniam falsò decretum eſt, intelligibile eſſe vnum ſpecie, cum duo ſint genera intelligibilium, alterum quidem potentia intelligibile, quod materiam habet, & ab intellectu Agente actu efficitur intelligibile: alterum verò, quod actu, & ſecundum naturam propriam eſt intelligibile, cum ſit materiæ expers, & eſt ea-

dem

dem res intelligens cum intellecta; ad quem profectò nume rum adſcribimus intellectum noſtrum. ea verò, quæ materiam habẽt, ſunt potentia tantùm intelligibilia, ac nequeunt eſſe intellectus, quoniam ſunt in materiam immerſa. Cæterùm intellectus quanquam eſt pura ſimplexq; potentia; nihilominus potentia eſt ſine materia, & idcirco eſt intelligibile actu. Porrò intellectus noſter in numero intelligibiliũ eſt ens potentia, cum per ſe non ſit actus, nec vlla præditus forma: atqui dicitur actu intelligibile, quoniam eſt ſine materia, nec ei Agente opus eſt intellectu, à quo intelligibile actu ille reddatur. Quòd ſi aliquando eum intelligibile etiã potentia vocaueris, id tibi ea ratione concedam, quoniam intellectus noſter aliquando rudis, & in potentia, aliquando in habitu & ſecundum actum appellatur. Quamobrem potentia intellectus noſtri, quę eſt eius natura, & res actu ac ſecundum ſe intelligibilis, dicitur etiã poteſtate intelligibilis, quia non ſemper intelligitur. Tunc enim intellectus noſter ſolũ ad ſe ipſum conuertitur, & naturam ſuã puræ poteſtatis apprehendit, cũ ſingula euaſerit, ac ſciẽtis habitum fuerit cõſecutus. De qua re in v i i. cap. i i. libri ſatis copioſè locuti ſumus. hæc enim eſt cauſa, quam hoc in loco dixit Ariſtoteles eſſe conſiderandam. Sed Græci, Latiniq; interpretes huc, & illuc errantes hanc nunquam attingere potuerunt. Si quis pręterea à me quæſierit, quo pacto audeam, intellectũ noſtrum rem actu intelligibilem vocare, ſi iſte ſit cuiuſcunq; formę expers, & pura ſimplexq; poteſtas, cum illud tritũ habeamus axioma, ſolùm formę actum intelligendi eſſe, cognoſcendiq; rationem, & potentiam intelligentiam omnẽ, atq; notitiam occultare, huic facilè reſpondebo, res, ſimpliceſq; naturas, quæ nullam ſibi habeant materiam adiunctã, ex ſe actu eſſe intelligibilia; ſed relatas deinde ad intellectum noſtrum, huic eaſdem eſſe cognitu perdifficiles quoniam hic abſq; phantaſmate nihil apprehendit, quod ſanè ab eiuſmodi naturis, cum ſenſibus minime ſubijciantur, recto tramite proficiſci nequit. Igitur, ut quod propoſitum eſt, cõcludamus, nos hoc in loco ex verbis Philoſophi minime deducere

ducere

ducere poſſumus, animum noſtrum eſſe immortalem: ſed illud tantùm colligimus, intellectum noſtrum à cæteris caducis rebus ea ratione diſtingui, ac ſimilem eſſe beatis mentibus, quoniam ſimplex eſt, & nulla cum materia permiſtus; qua de cauſa actu intelligibile vocatur, cum Agentis beneficio nequaquam indigeat, quod eum à materię cõcretione ſecernat, & actu efficiat intelligibile. Quæ profectò omnia etiam ſatis bellè cum intellectus noſtri fragilitate permanere poſsunt.

ALTER IN III. DE ANIMA *locus explanatur.* Cap. VII.

VT, quem cœpimus, ordinem teneamus, omnia ſubſcribemus verba contextus. Atq; is ille locus eſt, cuius in primo libro polliciti ſumus explicationem: quanquam enim ſuper hoc Aduerſarij maximum fundamentum iacere videntur; attamen tantum abeſt, vt ſupra hoc conſtruere æternitatem poſsis, ut eam potius funditus diruere coactus ſis. Ita ergo ſcribit Ariſtoteles in xx. contextu. *Quæ verò ſecundum potentiam eſt, tempore prior in uno eſt: omnino autem neq; tempore. ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit. Separatus autem eſt ſolùm hoc, quod quidem eſt, & hoc ſolùm immortale eſt atq; perpetuum. Non reminiſcimur autem, quòd hoc quidem impaſsibile eſt: paſsiuus verò intellectus corruptibilis eſt. & ſine hoc nihil intelligit.* Atq; hæc vltima pars contex. ea eſt, ex qua omnis oritur difficultas, quam plerique omnes interpretes ad reminiſcentiam, quæ poſt mortem fieri debeat, applicant. Cæterum hæc explicatio quàm longe ab Ariſtotelea veritate diſtet, nos apertiſsimè demoſtrabimus, ſi horum contextuum, in quibus de intellectu Agente diſſeritur, ſentẽtia breuiter à nobis fuerit repetita. Porrò Philoſophus, cum in xvii. ac xviii. contex. ſummam indigentiam, præclarumq; intellectus Agentis munus oſtenderit, hunc deinceps in xix. comparat cum intellectu potentia docens, quę

quæ cum eo cõmunia habeat, & quibus ab eo diſtinguatur. Nam inter ſe ambo conueniunt, quòd vterq; eſt ſeprabilis, immiſtus, & impatibilis: atqui Agens deinde differt ab altero: quippe qui per ſubſtantiam propriam intelligit, & in eo prorſus eadem eſt res cognita cum re cognoſcẽte: intellectus verò Potentia medio phãtaſmate, ſpecieq; recepta intelligit, neq; in eo penitus idem eſt, quod intelligit, atq; intelligitur. Et hęc in xviiii. contex. tradit Ariſtoteles, qui deinde in xx. eandem rem perſequens, & cupiens adhuc magis intellectum Agentem ab intellectu potentia ſeiungere, addit, intellectum quidem poſsibilem ſecundum indiuiduũ eſſe priorem; at ſecundum Naturam, & generatim priorem eſſe intellectum Agentem. De quo adhuc ſermonem habẽs, cumq; planè & omnino ſecernens ab altero ſubiungit, intellectum Agentem non aliquando quidem intelligere, aliquando verò non, ſed perpetuò in intelligentia verſari; ac præterea hunc ſolùm, nempe ex duobus intellectibus, quibus nos præditi ſumus, ab omni penitus concretione materiæ, & corporis vinculis liberum ſolutum & ſeparatum eſſe, atq; hunc ſolum eſſe immortalem atq; perpetuum. Quibus ita explicatis tandem Philoſophus remouet quandam difficultatem, qua ei quis occurrere potuiſſet. Aliquis enim hac hercule ratione potuiſſet Ariſtotolem redarguere. Tu aſſeruiſti, o Ariſtoteles, intellectum agentem eſſe animæ noſtræ differentiã, & maxime intellectioni conducere, nec non huiuſce ſubſtantiam eſſe ipſiuſmet intellectionem, ſemperq; ac perpetuò intelligere, & eſſe immortalem prorſus ac ſempiternum. Si hæc ita ſe habeant, atq; hic intellectus in nobis reperiatur, qua ratione fiet, nos vt minime reminiſcamur? hoc eſt, quo modo effugies, vt ſcire noſtrum non ſit quoddam reminiſci, quemadmodum à Platone decretum eſt? ſanè Ariſtoteles de nobis ſermonem habet, & non de ſtatu animi noſtri poſt mortem, quem planè Philoſophus ignorauit, ac ſe ſe in Platonem conuertit, quod ea quinetiam verba nobis ſignificant, *Non reminiſcamur autem*, quæ de hominibus, nec de anima ſermonem fieri oſtendunt. Et ſi in aliquibus libris ita

legitur,

legatur , *Non reminiſcimur autem poſt mortem,* hæc duo poſtrema verba ſuper addita fuerunt , neq; in contextu Græco leguntur. Hanc ergo dubitationem, quæ Platonis ſententiam cōfirmare videbatur , ita tollit Ariſtoteles.concedit enim Agētem quidem intellectum in nobis exiſtere, ſemperq; intelligere, nec non ab vtraq; parte , ſcilicet ortus , atq; interitus perpetuum eſſe & immortalem . Cæterùm ex ijs deinde non ſequitur, vt ſcire noſtrum ſit reminiſci : quoniam hic intellectus Agens, dum intelligit, minime patitur : quippe qui eſt impatibilis ; & iccirco non eſt ille intellectus, quo propriè intelligimus. Intellectus verò noſter, qui patitur intelligendo, cum recipiendo ſpecies intelligat, & ideo paſsiuus appellatur, corruptibilis eſt, nimirum extinguitur, & etiam initium habet temporis; ex quo fit, ut ſciētiæ in nobis ſint pariter nouæ , & nouo etiam tempore comparentur. Nam omnia hoc propriè intellectu percipimus, ac ſine iſto nequicquam intelligere poſſumus. Talis eſt igitur ſententia Ariſtotelis in hoc contex. ſi ea ſummatim mihi fuerit repetenda. Si occurras, quo pacto noſtrum ſcire non ſit reminiſci, cum in nobis inſit intellectus Agens, cuius natura & ſubſtantia eſt ipſius met intellectio, quiq; ſemper intelligit , & eſt immortalis; tibi reſpondeo, hoc minime euenire, quia hic non eſt ille intellectus, quo nos præcipuè intelligimus homines, quãuis noſtra ſine eo fieri nequeat intellectio . Intellectus verò noſter potētia, qui paſsiuus appellatur, patiēdoq; intelligit, & ille eſt, quo nos propriè intelligimus, oritur, atq; interit, & iccirco nouæ ſunt ac recentes, & pariter in nobis oriuntur , intereuntq; ſcientiæ , nec eas nos reminiſcendo conſequimur.

VERBA III. CAP. SECVNDI LIBRI *de Generatione Animalium exponuntur.* *Cap.* VIII.

SI qua ſunt verba Ariſtotelis, quæ Aduerſario rum roborare opinionem videantur, ea præſertim ſunt, quæ iam explananda ſuſcepimus. Nunc certè in difficili loco verſamur, ad quẽ cum peruenerunt Doctiſsimi homines, neq; ſe omnino explicare, neq; Alexandri partes ſatis firmè tueri potuerunt. Nam Excellens vir cùm ſubtilitate, tum copia Simon Potius, qui nouiſsimus omnium, quos nouerim, hác diſputationem de Mente Humana ſatis doctè & eleganter egit, cum ea verba, *Reſtat igitur, ut ſola mens extrinſecus accedat*, ad ſecundum actum intellectus noſtri tranſtulerit, ab intentione Philoſophi, mea quidem ſententia, longè receſſit. Quamobrem hoc in loco Petri Pomponatii Docti hominis, atq; ſapientis explicationem (ne ſuam tàm magno Peripatetico gloriam adimere videar) cæteris omnibus hucuſq; præferendam duxi: quippe quæ nullam mihi repugnantiã inducere, at cæteris Ariſtotelis dictis maximè conſonare videatur. Verba igitur, quæ ſummam parere ambiguitatem ſolent, ea præſertim ſunt. *Reſtat igitur, ut ſola mens extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Ad quæ hæc alia quinetiam, quæ paulò poſt eodem cap. ſubſequuntur, addere Aduerſarii conſueuerũt. *Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum una prouenit, partim ſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur, partim inſeparabile; hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur, uerſumq; in ſpiritum euaneſcit.* Iam verò vt planam & integram eiuſmodi verborum ſententiam habeamus, & omnem tollamus omnino difficultatem, nobis oriendum eſt altius, & ea omnia repetenda, quæ ad plenam huius cap. explicationem ſpectant. Poſtea ergo quã Ariſtoteles in primo huius ſecundi libri cap. nos docens, quid ſit primum mouens & procreãs in generatione animalium,

lium, dixit, ſemen prius motum ab externo mouente princi pio huius virtute deinceps omnia gignere membra conceptus, ſed nullam eſſe rei genitæ partem; ac præterea, quæ ſit natura eiusdem ſeminis, in ſequenti cap. declarauit; ſtatim dubitans in hoc iii. quærit, ſi ſemen nulla ſit pars eius, qui in vtero gignitur, fœtus, quando virtute in eo contenta agit, in quam illius corpus naturam aliam conuertatur. Quam porrò dubitationem ante quàm tollit Ariſtoteles, duo alia prius explicanda proponit. Primnm eſt, an ſanguis menſtruus aliquid à ſemine maris accipiat: alterum verò eſt, vtrũ in ſemine & conceptu ea inſit anima, ob quam res animal nominatur, ſentiendi nimirum virtus, & vnde hæc proficiſcatur; quam ſanè rem in primo cap huius ſecundi libri cæperat inueſtigare. Cuius ille quæſtionis rationem affert: quoniam nullus negauerit, conceptum expertem omnino eſſe animę, cum is, & ſemina perinde viuere, & fœcunda eſſe, ut ſtirpes, appareant; & deinceps progrediente tempore ſenſum pariter accipiant, & intellectum. Ad quæ addit Philoſophus, idem eſſe de intellectu quærendum, quo ſcilicet tẽpore, & quo pacto, & vnde eum ſemina, & conceptus accipiant. Hæc me hercule tria ſunt capita principalia, quæ nobis perpendenda attulit Ariſtoteles. Quorum iam nobis videndæ ſunt explicationes. Sed primum Philoſophus ad declarandam quęſtionem tertiam aggreditur, & inquit, ſtatuẽdum eſſe à nobis, in ſeminibus, & conceptibus nondum ſolutis ab vtero altricem Animam non actu, ſed tantùm in eſſe potentia, idemq; de ſenſu, & intellectu cenſendum eſſe.

Et quanquam paulò ante dixerat Ariſtoteles, conceptus etiam nondum ſeparatos actu altricem animam habere, cum æque viuant, ac ſtirpes; ne tamen eum ſibi ipſi inconſtantem eſſe ac volubilem teneas. Nam re vera ſemina & conceptus in vtero, cum alantur, & creſcant, actu altrice ſunt anima prædıti: attamen cum umbilico, velut pars animata, neq; vt infantes, ore cibum arripiant, nec proprijs organis huius animæ fungantur officijs, iccirco non actu, ſed potentia eam obtinere dicuntur. Quamobrem hic palam eſt, cum aſſerit

Ariſtoteles, has tres animas, & virtutes potentia, & non actu, in ſeminibus, & conceptibus nondum ſeparatis ineſſe, eũ ne quaquam intelligere has ineſſe potentia, quemadmodũ in viuente adhuc homine dicimus potentia ineſſe formã cadaueris: ſed potius (ne ab ipſius met Philoſophi in primo cap. huius libri exemplo recedã) ſicut in dormiente Geometra Geometriam affirmamus ineſſe potentia. Nã de potentia loquitur propinqua Ariſtoteles, quę eſt primus actus, & ortus eiuſmodi animarũ; quas potentia, & nõ actu, dicit ineſſe seminibus, & conceptibus nondũ ſegregatis ab vtero; quoniam vel adhuc nõ habẽt organa propria, vel eis adhuc nequeunt proprijs fungi muneribus. Qua hercule de cauſa nuper etiam dixerat, primùm altricẽ recipi animã à fœtu, deinde progrediẽte tempore eũ recipere ſenſum, & intellectum. Nam, vt ſecundo libro monſtrauimus, vna tantùm actu in nobis eſt anima, quæ à nobiliori eius parte intellectiua dicitur, quæq; vnà cũ alendi, ſentiendi, ac intelligendi virtute ſtatim, ac temporis momento in fœtu virtute ſeminis oritur: attamen primum homo plantarum, deinde animalis, tandem hominis vitam degere putatur: quoniam primùm altricis animæ, deinde ſenſus, tandem intellectus munera & actiones in nobis apparent. Immo verò, ut ex xxx. ſectione Problematum ſupra notauimus, vera & præcipua mentis munera exequi, niſi in ſenectute, non poſſumus. Statuendum eſt igitur, ut ad rem redeam, non ſolùm altricem animam in ſeminibus, & conceptibus nondum ſegregatis, ſed etiam ſenſum, & intellectum eo modo, quo diximus, ineſſe potentia, cum in mortalibus eiuſmodi animę inter ſe nequeãt ſeparari, atq; has omnes potentia prius haberi, quàm actu neceſſe ſit.

Hac tertia quæſtione Philoſophus explicata minime ad alias duas propoſitas prius reuertitur; atqui ſententiæ dudum ab eo determinatæ triplici occurrit ille ratione. Etenim cum decreuerit, altricem animam, ſenſum, & intellectũ in ſeminibus & conceptibus nondum ſeparatis ineſſe potentia, & non actu, potentia, inquam, quæ primum actum, & ortum eiuſmodi animarum non excludit, iterum dubitando

dò ſubiungit, neceſſe eſſe, vel has omnes innaſci, eo ſcilicet modo, quo iamdudum ſtatuimus, in conceptibus nondum ſeparatis, cum eędem prius numero (nam de iiſdem numero loquitur animis) non fuerint, vel cum prius fuerint (actu intelligas tu, & vel cum corpore alio, vel ſine corpore) vel aliquas quidē innaſci neceſſe eſt, cū ante non fuerint, aliquas verò innaſci, cum ante fuerint. Et easdē numero ſemper intellige animas, an eæ prius extiterint vel nō extiterint cum alio copore, vel ſine corpore, quàm in conceptibus innaſcātur. Aut neceſſe eſt has innaſci in materia nēpe in ſanguine menſtruo, ante quàm ſemen maris adueniat, vel in ſanguine mēſtruo ex ſemine maris innaſci: aut neceſſe eſt, vel has omnes extrinſecus in ſemina & conceptus accedere, vel nullam, vel aliquas quidem, aliquas verò non. Hæ tres porrò dubitationes, prima excepta, ſunt de primo actu animarumq; ſubſtantia, de qua prius locutus eſt, eamq; in conceptibus & animalibus nondum ſolutis ab vtero collocauit. Et in tertio capite quęrit philoſophus, an tres, quas modò tractamus, animæ, vel potentię non innaſcantur in ſanguine mēſtruo, ante quàm ſemen maris adueniat, neq; è ſemine maris oriātur, ſed ab agente externo, à corpore nimirum cœleſti proficiſcantur. Ad primum igitur, & tertium caput ſimul explicandum accedit; nam ſecundum idem cum propè ſit, atq; ſecundum principale, infra diſſoluetur. Probat ergo (ut apertè, ac diſtinctè magis horum capitum videamus explicationem) fieri nequaquam poſſe, ut omnes animæ actu fuerint in alio corpore, vel ſine corpore ante quàm in conceptibus innaſcantur. Haud ſine corpore exiſtere potuerunt, propterea quòd ea principia, quæ actionem habent corpoream, ac inter operandum indigent corpore, vnquam abſq; corpore exiſtere nequeunt. Quare alendi ſaltem, atq; ſentiendi anima ante ſine corpore eſſe non poterunt; quàm ingenerentur conceptibus, cum vtriuſq; ſit actio corporea, neq; ſine corpore obiri poſſit. Sed in alio etiam corpore diuerſum ab eo, quod generatur, actu eſſe non poterunt, quoniā ſic idem numero actus duo perficeret corpora, nēpe con-

ceptum

ceptum & animal nondum ſeparatum, & illud corpus, in quo prius exiſteret. Quòd ſi dixeris has prius animas in ſemine exiſtere, hoc falſum erit, ſiquidem nulla actu anima in ſemine reperitur, cum iſtud ſit res quędam redundans & ſuperuacua alimenti mutati. Quamobrem eadem alendi, ac ſentiendi anima (hæc enim eſt tertii capitis explicatio) cum minime ſint à corpore ſeparabiles extrinſecus etiam, ab agēte ſcilicet externo in conceptus & animalia accedere minime poterunt: at in eis gignentur: quoniam, vt in xxvi. ſecundi de Anima contex. legitur, formæ, actusq; corpora informantes in propria ſemper fiunt, exiſtuntq; materia. Relinquetur ergo, ut ſolus intellectus proficiſcatur extrinſecus, nēpe conceptui, & homini diuina virtute corporum cœleſtium tribuatur. Porrò intellectus noſter vna cum reliquis animę viribus è virtute ſeminis & potentia materiæ deducitur, vt ſatis ſuperq; in primo, & ſecundo libro probauimus: ſed cū hîc Ariſtoteles comparans cum alendi, ſentiendiq; anima, dixit hunc proficiſci à calore, ac diuina virtute corporum cœleſtium, non, quòd vere abſq; primis qualitatibus, & ſingulari efficiēte cauſa à principio omnium vniuerſali creetur; verùm quia in intellectus noſtri ortu parū, aut nihil ferè primarum qualitatum, & ſingularis cauſæ operatio, & ex altera parte ſolis virtus, & aliorum ſiderum maximè appareat, ac ille valde ſimilis diuinis naturis videatur, cum minime ſit virtus corporea, ſed ab omni corpore, & organo ſeparabilis. Hæc hercule interpretatio magis, quàm altera Simonis Portij hoc in loco ad verba, & cōſilium Ariſtotelis quadrat: nam præter id, quòd in primo huius ii. libri cap. vſus eſt eodem genere loquendi, cum propoſuit nobis quærendum eſſe, à quo efficiente principio partes corporis generentur; *aut enim inquit Philoſophus, extrinſecus aliquid; aut in genitura, & ſemine inſitum agit*; ſi de ſecundo actu & animarum operationibus ſermo haberetur, quo pacto effugeret Portius, quin etiam ſenſus extrinſecus accederet, cum iſtius actio æque, ac operatio intellectus ab eiuſdem proficiſcatur obiecto? Quare hic magis eſt commendandus Auerroes, qui in huius libri

bri

bri Paraphraſe hanc etiam partem perfectione, & ſubſtantia animarum expoſuit, quanquam hîc de intellectu nihil velit determinaſſe Philoſophum, ſed dubitanter eſſe locutũ, & eiuſmodi contemplationem ad libros de Anima retuliſſe. Immo verò idem magnus, ac nobilis Philoſophi interpres aliàs in ſecundo libro de Anima cum L I X. cõtex. interpretatur ex ſententia Ariſtotelis aſſeuerauit, primam ſentiendi animæ perfectionẽ extrinſecus, nimirum ab intelligentia (vt inquit ille) Agente proficiſci. Quod ea ratione dictum eſt verũ: nanq; ſentiendi anima licet è potentia materiæ naſcatur (ut optimè norat Auerroes) quòd omne cũ materia permixtum à permixtò cùm materia fiat; neq; ſempiternæ formę quicquam in hoc mundo inferiori proximè agant: attamen ea ſi vitæ ſtirpium conferatur, magis diuinitatem ſuperiorum corporum participare, diuiniſq; formis ſimilior eſſe uideatur, atq; in huius generatione cœleſtium corporum virtus ſe ſe magis oſtendere, & qualitates primas, ac ſingulares cauſas magis inſtrumentorum ſubire rationem. Quod ſi de ſentiendi anima affirmare nobis licet, quàm alacriori animo idem de intellectu aſſeuerare poterimus? Verùm ut magis pateat hanc eandem eſſe ipſius met Ariſtotelis, nedum eius interpretis explicationem, illumq; eiuſmodi dixiſſe ratione, intellectum noſtrum accedere extrinſecus, huncq; nominaſſe diuinum, hanc ſententiam noſtram eis conferemus, quæ ab eodem Philoſopho in hoc ſecundo libro dicuntur. Primum enim in initio huius ſecundi libri aſſerit Ariſtoteles ea, quæ hîc apud nos meliorem & nobiliorem obtinent naturam, & conditionem, ſuam è cœlo deducere originem: nam cum rerum alię ſint diuinæ ac ſempiternæ, aliæ verò caducæ atq; mortales, pulchræ ſemper, atq; diuinæ (addit Philoſophus) earum dicuntur cauſæ, quæ hîc meliores, & nobiliores ſunt, atq; gignuntur. Deinde in. i i i. cap. poſtquã dixit intellectum ſolum accedere extrinſecus, atq; diuinum eſſe, quaſi rationẽ huius dicti ſubiungẽs ſtatim inquit. Sed .n. *omnis animæ ſiue uirtus, ſiue potentia corpus aliud participare uidetur; idq; magis diuinum, quàm ea, quæ elementa appellantur: utrùm. pre*

ut nobilitate, ignobilitate ue animæ inter ſe differunt, ita et natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit, ut fœcunda ſint ſemina; uidelicet, quod calor uocatur, idq; non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Quibus verbis] Philoſophus ſatis mihi apertè oſtendere videtur, ſe paulò ante intellectum noſtrum cum reliquis potentijs animę comparaſſe, eumq; propter nobilitatem, qua cæteris animę longè præſtat virtutibus, ſolùm appellaſſe diuinum; quod quidem ſine eiuſmodi falſum eſſet comparatione, cum cęterę potentię animæ, earum quinetiã corpora diuina appellari poſsint. Ac illud præterea hinc nobis patere arbitror, Ariſtotelem eiuſdem intellectus noſtri ortum efficienti externo ac immortali tribuiſſe, quòd ille præcipue ab elemento ſtellarum (quem etiam calorem ſpiritumq; diuinum vocat, ac aliàs arti, beatæq;, ac ſempiternæ menti ſimilem eſſe dixit) à quo ſeminis, & humani præſertim, quod eſt omnium vberrimũ, fœcunditas prouenit, infundi ac largiri videatur. Atq; hæc ſatis ſint pro explicatione priorum verborum, quæ tantam vim contra opinionem noſtram habere videbantur. Iam ad alia reuertimur, quæ ad eandem labefactandam adducta ſunt. Sed hęc ſatis à ſuperioribus explicantur, illaq; hæc contra explicant. Nam modò volens Philoſophus ad primum dubium reſpondere, quod in huius cap. initio ab eo fuit propoſitum; in quam ſcilicet naturam corpus, materiaq; ſeminis conuertatur, ſi nulla id pars conceptus fiat, ante quàm ad huius veniat explicationem, ſermonem ſuum ſuſpendens inquit. *Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum unà prouenit; partim ſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur; partim inſeparabile.* Ex quibus profectò verbis, quanquam intellectum noſtrum Philoſophus diuinum vocet, ac ſeparabilem; minimè poſſumus argumentari hunc eſſe manſurum ęuo ſempiterno: nam Ariſtoteles repetens ea, quæ ſupra decreuerat, nil aliud nobis ijs verbis ſignificat, quàm in ſemine à patre deciſo omnem

animam

animam contineri potentia, vnaq́, cum eo proficiſci. inquit enim in ſemine patris ſemen principij animalis, hoc eſt initium & cauſa, qui cœleſtis eſt calor, animæ contineri; anima enim principiũ eſt animalis; & vnà cum eo prouenire: quod deinde principium, quam ſcilicet animam in duo diſtribuit genera in ſeparabile, & non ſeparabile à corpore, & ſeparabilem vult eſſe intellectum noſtrum, huncq́; rationibus non ſemel ſupra adductis diuinum vocat. Quare ex hoc loco manifeſto comprehendimus in virtute ſeminis contineri, & ex eo oriri intellectum noſtrum: Quibus ita repetitis quęſtionem primam ſtatim explicat Ariſtoteles, & ait, corpus materiamq́; ſeminis expedita generatione diſſolui, verſamq́; in ſpiritum euaneſcere, cum humoris, & aquę naturam habeat; & idcirco minime quærendum eſſe, an ſemper foras egrediatur, vel pars rei genitę fiat, cũ perinde ſe habeat, ac ſuccus, à quo lac cogitur, quod mouet lac quidẽ, & coagmẽtat, neq; vlla ipſius pars euadit. Tandem Philoſophus, quod reliquum eſt pro vniuerſa, & integra huius cap. interpretatione, ſecundum principale explicat dubium, docetq́;, ſemen maris, poſtquam eſt proiectum in vterum, mouere & componere ſanguinem menſtruum, huicq́; originẽ & principium, quo iſtud caret, animæ largiri. quo à muliebri ſanguine accepto formatur deinde conceptus, atq; perficitur.

LOCVS XII. PRIMAE PHILOSOPHIAE *perpenditur.* Cap. IX.

SOLENT præterea Simplicii, Auerroïsq́; ſectatores eis verbis, quę in XII Primæ Philoſophiæ XVII. particula ſcribuntur, nobis occurrere: ait enim ibi Philoſophus. *Si uero & poſterius quippiam permanet, conſiderare oportet: in quibuſdam enim nihil prohibere uidetur, ueluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed mens ipſa. ut enim omnis permaneat anima, fieri fortaſſe non poteſt.* Hoc in loco, vt doctè quidẽ ac ſapiẽter inquiunt Beatus Thomas, ac Portius, nihil Philoſophus de intellectu

noſtro determinat, cum eiuſmodi quęſtio de intellectu, an poſt mortem remaneat præcipuè ad III. de Anima librum pertineat. Quamobrem ea verba *nihil prohibet, & fortaſſe* addidit Ariſtoteles, quæ hanc rem profectò dubiam ambiguamq́; reddunt. Quod ſi iſtud in hoc libro quinetiam perpendere diligenter volueris, videris ſanè, Philoſophum in eam penitus iuiſſe ſententiam, quam nos, vt verum decet Peripateticum, acerrimè tuemur. Nam volens hîc Ariſtoteles idearum Platonis imminuere gloriam, qui eas rerum, quæ hîc oriuntur, atq; intereunt, efficientes ſimul cauſas & formas inſtituebat, efficientia principia diſtinguit à formis, illaq; res ab eis effectas antecedere tempore, ab eisq; ſeparari affir mat: contra verò formas cum rebus compoſitis ſimul oriri, ſimulq́; ſemper exiſtere. Quamobrem ſi hîc præcipuè velis loqui Philoſophum de intellectu noſtro Potētia, huncq; apertè & conſtanter aſſerere poſt mortem eſſe ſuperſtitem, vide obſecro in quem eum errorem deduxeris: propterea quod etiam intellectum noſtrum neceſſe eſt, in ſingularium & cōpoſitarum rerum formarum numero reponas, eumq́; cum iſtis oriri ſimul affirmes. At qui aſſeuerare rem aliquam oriri, ac nullo deinde tempore eandem eſſe defecturam, Ariſtotelis adeò repugnat initiis, vt vniuerſam eius Philoſophiam deſtruere videatur. Cæterum Ariſtoteles hāc rem apertiſsimè in XXXIX. contex. poſterius explicaſſe videtur, vbi poſtremam noſtram felicitatem cum Dei Opt Max. beatitudinę comparat. Siquidem, ut doctiſsimè hunc locum interpretans deliciæ noſtrę, inquit Alexander, cū intellectus noſter, qui omnia eſt intelligibilia potentia, longo ſtudio, atq; doctrina, ac optima viuendi ratione omnia actu intelligibilia euaſerit, hoc eſt, habitū ſcientis fuerit conſecutus, de quo ſupra iā ſatis copioſè locuti ſumus, tunc nos optimā, beatiſsimam, & longè omniū iucundiſsimā degimus vitam, quæ ſanè verbis explicari minime poteſt; ab iis tamen cōprehēditur, qui ad tantā perueniunt felicitatem. tunc enim mēs noſtra in illud bonum ſe erigit, quod eſt omnium rerum, quæ ſunt, longe præſtantiſsimum, nempe in Deum Opt. Max.

Max. huncq; contemplando in eius quodam modo naturam conuertitur. Verùm tàm incredibilis humanæ mentis delectatio, tanta felicitas ad breue exiguumq; durat tempus, ait Ariſtoteles: neq; enim vt ſummus ille arcens, & omnia continens Deus, minime poſſumus tám beatam agere vitam æuo ſempiterno: quoniam ſcilicet natura noſtra mortalis eſt atq; caduca. Quòd ſi credidiſſet Philoſophus, nos aliquando poſt mortem fore ſemper tum in maximis, tum in æternis voluptatibus, vt nos Chriſtiani, qui piè ſanctéq; à ſacris literis mandata nobis exequimur, Dei gratia ſperamus tandem eſſe conſecuturos, vtiq; non dixiſſet eam felicitatē, ac ſummam delectationē, qua Deū Opt.Max.aliquãdo fruimur contemplantes, celeriter labi, & ad breue exiguumq; tēpus permanere. Atq; hanc ego arbitror verã eſſe huius loci explicationē, quicquid de ſtatu præſenti, ac mente ſoluta è compedibus corporis Latini interpretes comminiſcantur.

ALIORVM VERBORVM PRIMI *Ethicorum libri uera adducitur explanatio.* *Cap.* X.

EQVIDEM fundamenta, quibus Aduerſarii præcipuè nituntur, dum funditus euertere contendo, nollem redundans quibusdam, ſuperuacuusq; videri, ſi interdum ea ſolùm repetã, quæ aliàs à Doctiſsimis viris dicta ſunt in eiuſmodi locorum explicationibus. Quærit Ariſtoteles in x. primi Ethicorum cap. an ſecundæ res, aduerſæq; poſterorum aliquid boni vel mali addant, vel detrahant vita defunctis, atq; concludit in cap. xi. aliquid boni, vel mali poſterorum, tametſi exile et paruum ad mortuos peruenire. Hinc volunt Aduerſarij deducere poſt mortem ſupereſſe animos noſtros, neq; animaduertunt nobiliores huius operis interpretes vnà omnes aſſerere, hoc in loco de ea loqui Philoſophum opinione & fama mortuorum, quæ in viuentium memoria relinquitur. Neq; enim poterat affirma-

re Philoſophus, poſt mortem intellectus noſtri remanere ſubſtantiam, qui paulò ante Solonem reprehenderat, quòd tantùm hominem vellet poſt interitum appellari felicem; ac poſtea dixerat in iii. libri cap. vi. mortem maximè omniũ eſſe terribilem, quòd ea ſit extremum vitæ, nihilq́; tum inde homini mortuo boni, aut mali relinquatur. Vbi præterea à nobis ea ſunt perpendenda, quæ deinceps de viro forti ſcribuntur: ait enim in cap. ix. Philoſophus, virum fortem, ne in turpitudinem labatur, honeſtatis gratia libenter vulnera perpeti, ac etiam mortem oppetere: eum tamen, quò magis omni virtute pollet, atq; felicior eſt, eò magis ob mortẽ ſanè dolere: quippe qui ſciat ſe maximè dignum eſſe vita, maximisq́; bonis ipſa morte priuari. Ex quibus te illud colligere oportet, ſi Ariſtoteles nouiſſet, animos noſtros eſſe immortales, eum ſatis imprudenter virum fortem induxiſſe moleſtè ferentem mortem, putantemq́; ſe maximis bonis ea ſpoliari, cum ille ad guſtanda maiora bona, & ad vitam beatiorem migrare diceretur. Igitur ex ſententia Ariſtotelis ſolùm eſt mortuorum gloria, & fama ſuperſtes, quæ ſecundis rebus, ac poſterorum virtutibus augeri interdum, & illuſtrari; interdum autem eorundem fortunis afflictis, & vitijs imminui, ac obſcurari videntur.

QVAEDAM ALIA IN POLITICORVM *& Oeconomicorum libris declarantur.*

Cap. XI.

TANDEM verò ex Politicorum & Oeconomicorum libris quædam adducuntur alia, quę fortaſſe quibusdam ſatis nos vrgere videbuntur. Nam in Politicis Ariſtoteles ſæpe commendat Heroas, homines nimirum ob res ab eis iuſtè, temperatè, ſapienter geſtas ad numerum Deorum adſcriptos: deinde in fine Oeconomicorũ vxorem, virumq́; animaduertit, qui in domus adminiſtratione alteri valde pręſtiterit, eum maximum à Diis immortalibus præmium eſſe conſecuturum. Cæterùm illud nos aduertere oportet in

eiuſmodi

eiuſmodi libris Philoſophum, in quibus de hominum vita, & moribus agit, ſæpe, vt homines deterreret à vitiis, & ad pacem, iuſtitiamq; colendam, ac ad bene, beateq; viuendum adduceret, Poetarum fabulas, inueteratasq; in vulgarium hominum mentibus opiniones ſecutum eſſe, cum eæ propoſito ſibi fini valde conducerent. Atq; iſtud ex eo Oeconomicorum dicto præſertim patet: nam hîc manifeſtè oſtendit Philoſophus, ſe ex Pindari ſententia loqui, cum iſtius adducat verba, qui aiebat, hominibus ſibi iuſtè, pieq; actæ ætatis conſcijs dulcem quandam ſpem cor alere conſueuiſſe, nutricemq; eſſe omnis generis voluptatum. Præterea in eodē paruo, verùm aureolo & ad verbum diſcendo quidem libello aſſerit Ariſtoteles, viri mores pro lege habendos vxori, quam ei religiosè obſeruandam impoſuerit Deus: ac inſuper nos hortatur ad precanda, & ſupplicanda à Dijs immortalibus bona. Quę ſanè omnia, ut & Chriſtiana & ſanctiſsima ſunt, ita longè abſunt à iudicio & ſententia Ariſtotelis, nec paulum eius repugnant initiis, qui ſtatuit Deum Opt. Max. quadam vniuerſali tantùm prouidentia mundū adminiſtrare, nec eum ita conſulere rebus humanis, ut ſingula curet, ac tueatur. Atq; Philoſophus in L. contex. xii. Pimæ Philoſophiæ clariſsimè demonſtrat, quantam ille in Deorum ſermonibus Poetis fidem adhibuerit: nam ex eorum tot dictis illud pro vero tantùm affirmat, Deos nimirum eſſe, diuinaq; corpora, & formas ac reliqua continere omnia, & moderari: cætera verò cuncta, quæ de Dijs & horum pręcipuè ſimili humanę figura ab eis dicuntur, putat eſſe fabulas & figmenta à Poetis excogitata ad perſuadendum vulgo optimam videndi rationem, & ad vſum legum, vitæq; humanæ vtilitatem. Atq; hęc ſatis eſſe arbitror pro eorum explicatione, quæ in hac ſententia de intellectu noſtro Potentia difficultatem pręcipue facere videbantur. Si quos alios inueneris locos, qui aduerſariorum fauere opinioni dicantur, eos equidem fundamentis à nobis hucuſq; iactis à te explicari poſſe, crediderim. Nunc ad alterum intellectum redeundum eſt, qui Agens, ſeu ἐνέργεια nuncupatur.

REMOVENTVR DIFFICVLTATES QVAE *aduerſus alteram ſententiam de Agente intellectu prolatam adducuntur.* Cap. XII.

POſtquam à nobis ea explicata ſunt loca, quæ intellectus Potentia innuere ęternitatem videbantur, reliquum eſt, ut rationes eas diluamus, quibus altera ſententia reprehendi ſolet quam ſequentes Alexandrum cęteris cunctis de Agente intellectu prętulimus. Primùm igitur ab Alexandro, & à me quæri poteſt, cur Ariſtoteles, ſi Agens intellectus ſit Deus Opt. Max. nec animę noſtræ pars exiſtat, in initio iii. de Anima commentario non propoſuerit, ſe velle de eo diſſerere, & ea præſertim ratione, quòd hic intellectu Potentia eſt longè præſtantior? Etenim ſolùm ibi Philoſophus de intellectu Poſsibili, & huius intelligendi actu ſe velle agere, pollicetur. Secundo loco quis nobis occurret propter ea, quæ iam ſupra à nobis adducta ſunt ex principio libri de partibus Animalium: quippe Agens intellectus ſi fuerit Deus, de eoq; in iii. de Anima libro pertractetur, de intellectu ſeparato faciemus diſſerere Naturalem Philoſophum; ex quo deinde ſequetur, vanam, ac redundantem fore primam Philoſophiam. Ad hęc ſi hic intellectus Agens conſtituatur Deus, qui ſua pręſentia phantaſmata illuſtret, quo modo illud effugerimus, vt in eodem non ſitus ſit loco, quo phantaſmata complectuntur, nec locum mutet cum nos è loco ad locum ciemur, vel cum ille in ortu acceſſerit ad nos, & in interitu à nobis receſſerit? Illud quinetiam à nobis poteris ſciſcitari, quod Auerroes obiecit Alexandro. Cum nos abſtrahendi, & ſegregandi phantaſmata à conditionibus materię plenam habeamus facultatem, idq; ſemper, cum libet, efficere poſsimus, eam vim, qua iſtud præſtamus, neceſſe eſt, animę noſtræ partem exiſtere. Quoniam omnis noſtra actio à propria forma proficiſcitur. Sed iterum Ioannes Grammaticus ea ratione voluit Alexandri ſententiam refellere, quòd, cum omnium planè

nè

nė rerum ſit author,& conſeruator Deus, tantùm vero poteſtate intelligibilia, actu intelligibilia reddat Intellectus Agens, hunc Deum Opt. Max. à nobis conſtitui nequaquam poſſe. Quod hac etiam poſtrema, & ſatis efficaci ratione confirmari poteſt. Quî enim fatebimur, Intellectum Agentem eſſe Deum, cum illud tritum, & vuulgatum ſit apud omnes Peripateticos, nihil prorſus ſine motu, & lumine corporum cœleſtium in hoc mundo inferiori atq; caduco agere ſummum Deum, ac cæteras beatas Mentes? Hæc ſunt ea peęcipuè, quæ in Alexandri ſententia difficultatem patere videntur, quæ ni fallor, à nobis facilè remoueri poterunt. Atq;, ut ad id redeam, quod principio quæſitum eſt nobis, nil mirum ſi Ariſtoteles in initio iii. de Anima ſolùm propoſuerit, ſe velle de natura intellectus Potentia, & eiuſdem intelligendi actu differere: ſiquidem hæc propria illius erat, & principalis intentio: deinde verò ſi de intellectu Agente tractauit, hoc intellectus poſsibilis gratia executus eſt: cum enim intellectus noſter eſſet nuda poteſtas, operę pretium fuit inuenire propriam efficientem cauſam, quæ eum de potentia ad actum deduceret: quanquam enim phantaſma illud eſt, quod proximè mouet intellectũ, in actumq; deducit; nihilominus id maximè intellectui Agẽti acceptum referri debet: nam (quod etiam ſupra notauimus) ſi prius Agens phãtaſma non illuſtraret, nec iſtud actu intelligibile redderet, ſanè phantaſma intellectum deinde mouere non poſſet. Quamobrem intellectus Agens principalis, & potior cauſa intellectionis, quàm phantaſma conſtituendus eſt. Ne igitur, ut ad rem redam, accuſes Philoſophum, ſi intellectus Agentis diſputationem in principio non propoſuerit: quoniam de hoc alterius gratia intellectus ei tractandum erat. Immo verò ea pars, in qua de Agente intellectu differit Ariſtoteles, cum tota ad intellectus Potentia tractationem referatur, eiuſdem etiam nomine inſcribi debet. Et iſtud mehercle, quod magna, & diligenti contemplatione dignißimum eſt, aliàs in Philoſophi libris obſeruandum eſſe perſpeximus. Nam in commẽ-

tariis Phyſicæ Auſcultationis primi quinque libri de principijs naturalium rerum, tres vero vltimi de Motu inſcribendi ſunt, vt Simplicius, Andronicus, Theophraſtus, Damas, & Eudemus eruditi, & grauiſsimi quidem viri teſtantur. Sed qua ratione Tertius, ac Quartus, & Quintus Phyſicorum liber de principiis, Octauus verò de Motu, cum in eo agatur de primo Mouente, inſcribi debeat, nos breuiter exponemus; quoniam id Græci interpretes ſilentio preteriiſſe videntur. In iii. igitur Phyſicorum libro quanquã de Motu diſſerit Ariſtoteles: attamen quoniam de eo tractat Naturæ beneficio, atq; ut eius, quæ principium eſt, perfectam habeamus notitiam, cum eius definitio in ſe motum contineat, idcirco hic inter principiorum libros collocandus eſt: de proprio enim affectu Naturæ atq; ipſius gratia, & beneficio in illo diſceptatur. Quarto ſimiliter eadem debetur inſcriptio: quoniam ibi de Loco, Vacuo, & Tempore diſputat Ariſtoteles, cum hæc conſequantur motum, & eius proprietates dicantur. Quòd igitur in quarto de accidẽtibus & proprietatibus Motus, qui eſt effectus Naturæ, diſſeratur, & ita vniuerſa hęc diſputatio ad eandem ſpectet, eum pariter librũ de principijs cenſeo inſcribendum eſſe. Huic Quintus adnectitur, qui in eodẽ etiam numero reponi debet: quippe qui totus pendet ab vniuerſali, & cõmuni Motus diſputatione, quæ habita fuit in tertio: nam in quinto ſeparat Motum à Mutatione, eumq; in proprias ſpecies diſtribuit, & quædã addit theoremata, quibus reliqua nos docet, quæ communiter res naturales & ea, quæ ſunt in loco, & mouentur ad locum, conſequuntur. Atq; hucuſq; Philoſophus, quatenus à Natura oritur, & in naturalibus rebus exiſtit & fluctuat, conſiderauit Motum. In vi. autem libro incipit eũ ſecundum ſe, & veluti rẽ abſolutam ac liberam à quocunq; naturali corpore contemplari: quod ea planè nobis oſtendunt, quæ hoc in libro Motui ſecundum ſe conſiderato atribuuntur, quæ, ut in materia eſt, ad eum prorſus nequeunt accomodari. Quamobrem Sextus, Septimus, & Octauus de Motu inſcipti ſunt: in Octauo .n. licet de primo Mouente,

quod

quod principium eſt, pertractetur: attamen quoniam ea ra tione de eo agitur, qua reſpicit Motum, qui tribus in ijs libris per ſe, nec amplius veluti effectus à Natura dependens cõſi deratur, ideo de Motu inſcribere debemus Octauum librũ. Hanc eandẽ propè ſententiam habere poſſumus in ſecundo Poſteriorũ libro, vbi cęteri Gręci, & Alexander inter ſe digla diantur. Hic.n. cũ de definitione agat Philoſophus demon ſtrationis gratia, nil mirũ videri debet, ſi etiã de demõſtratio nę eiuſmodi liber inſcribatur. Quod mihi ſi quis inſteterit, pariter in hoc libro de Definitione per ſe (ut etiã ipſe conſtã ter teneo) ac quatenus ea methodus eſt, quæ quæſtionẽ quid eſt nobis explicat, ab Ariſtotele pertractari; huic reſpõdebo, adhuc eum librũ ſub demonſtrationis nomine retinẽdum eſ ſe, ea nimirum ratione, quòd Ariſtoteles Definitionis aggre diens diſputationẽ, id effecit, quò Demonſtrationis doctrinã abſolueret: & ita hæc prior de Definitione tractatio tota ad Demonſtrationẽ refertur. Si verò deinceps in altera huius li bri parte aggreſſus eſt Ariſtoteles ad explicandã nobis verã, & propriam methodum definiendi, id eum feciſſe arbitror; quoniam occaſionem nactus eam prætermittere noluit, ne aliàs id negocii ſuſcipere coactus eſſet. Atq; hic aliquando fuit mos Ariſtotelis, ut de aliqua re alterius gratia, nec prin cipali differens intentione, de eadem deinde per ſe propriè, & exquiſitè tractaret. Quod non modo in II. libro Poſte riorum, ſed etiam in III. Phyſicæ Auſcultationis commen tario exploratè percepimus. Hic enim Philoſophus quan quam, vt dictum eſt, de Motu agat propter Naturæ notio nem; adcò tamen ſolers, ac diligens fuit in Motus explica tione, vt nihil quidem prætererit, quod ad eius vim & na turam declarandam ſpectaret. Quamobrem alijs in locis, cum res poſtulat, iiſdem ſemper vtitur difinitionibus, quæ Motus traditæ ſunt in III. Phyſicorum. Sed longius fortaſ ſe digreſſi ſumus quàm par erat. Hæc verò (quamuis caſu, & fortuitu dicta ſint) tacitus nullo modo potui ſilentio præ terire, quod me aliàs hæc diſputante Bononiæ in nobili Ve latorum Academia, ea quibuſdam doctis, & grauiſsimis vi-

S ris

ris pergrata fuiſſe perſpexerim. Iam verò ad id reuertor, quod nobis ſecundo loco fuit obiectum. Licet enim Naturalis Philoſophus de Deo Opt. Max. in libris de Anima tractet; non ob id tamen ſuperuacanea eſt Diuina ſcientia: quippe quòd Deum non ea ratione, qua Deus eſt, verùm qua Agens, & reſpicit intellectum Potentia, contemplatur; quemadmodum de eodem ſimiliter ſub primi ratione mouẽtis agit in v i i i. Phyſicorum Negauit autem Philoſophus in primo de partibus Animalium, propriam, & abſolutam Diuini intellectus diſputationem ad Phyſicum pertinere. Quòd ſi adhuc vrgeas, Ariſtotelem in i i i. de Anima propriè ac per ſe de Intellectu ſeparato agere, cum in x i x. x x. q; contex. exactè, & perfectè naturam & ſubſtantiam Dei explicare conetur; hunc nodum eadem ſanè ratione diſſoluo: quòd ea affert Philoſophus, quæ Agentis intellectus naturam declarant, ut eum à Potentia intellectu ſeiungat, cum prius in x i x. contex. initio adduxiſſet ea, quæ erant vtriq; communia. Quamobrem hæc etiam tota explicatio eſt gratia intellectus Poſſibilis, ad eumq; refertur. Sed iterum quęras à me, qui iſtud fieri poſsit, ut loco adducto Philoſophus inter Agentem, & Potentia intellectum diſcrimen ſtatuet, cum in x i i. primę Philoſophię x v. contex. fateatur Auerroes, haud munus eſſe Naturalis Philoſophi mortalis, ac ſempiternæ formę differentiam oſtendere? ac ei prętere a, qui duo inter ſe diuerſa monſtrare velit, neceſſe ſit, vtrunq; cognoſcat, ut ex eo cap. de communi ſenſu in i i. libro collegimus? Naturalis igitur nouerit intellectum ſeparatum atq; Diuinum; vel nulla erit ea diſtinctio, quæ inter hunc, & intellectum noſtrum loco adducto ſtatuitur. Porrò ad hæc duo, quæ ſatis acutè & ſubtiliter dicuntur, ita reſpondeo, nempe ſententiam Auerrois eſſe veriſsimam, cum propriè & abſolutè diuinam formam contemplamur: ſin autem hęc ſub quauis alia ratione, atq; ut rem Naturalem reſpicit, à nobis conſideretur, tunc Phyſicus poteſt inter eam, & naturalem formam ponere diſtinctionem. Et id egit hac de cauſa Philoſophus eo in loco, de quo diſſerimus: quippe qui

Deum

Deum Opt. Max. non per ſe, & abſolutè, quatenus Deus eſt, ſed ea ratione qua Agens, & ad intellectum noſtrum refertur, conſiderabat. Quare dicendum eſt etiam (ut ſecundum nodum expediamus) Naturalem hic vtrunq; intellectum perfectè cognoſcere, ſed Agentem agnoſcere ſub Agẽtis ratione, ac tanquam eum, qui ad rem naturalem, ad noſtrum ſcilicet intellectum reſpectum ſemper habeat. Tertia autem principalis ratio eo diluitur, quòd quanquam intellectus Agens, quem Deum aſſerimus, in nobis ineſt, ſuiq; præſentia phantaſmata illuminat; attamen ut phantaſmata loco non clauditur, nec locum mutat, cum nos è loco ad locum ciemur; quoniam Deus vbicunq; eſt, ac, ut Poeta cecinit, Iouis omnia plena. Sanè dominator rerum, & omnia nutu regens Deus, vt res corporeæ, non circumſcribitur loco; tametſi altera ratione (ut aiunt Theologi) is locum obtinere putatur, vbi eius actio præcipuè nobis eſt manifeſta. Quamobrem eadẽ penitus de cauſa, cum vbicunq; ſit Deus & cuiuſuis rei operationi ſemper adſit interſit, nunquam (vt ingenioſè docet Alexander) ad nos accedere, vel à nobis recedere dicetur. Siquidem in prima ſeminis effuſione, cũ per omnia permeet, & vbicunq; adſit intellectus ἐνέργεια, ad noſtri ortum aſsiſtit, ac menti noſtræ intelligentiam deinde præſtat, cum hęc ab eo illuminata phantaſmata percipere valet; qui tamen phantaſmata ſemper, ac perpetuò illuminat, cum eiuſmodi illius ſit ſempiternum officium: quamuis nunc in me, cras in te, poſtridie in alio ea (ut familiari vtar verbo latinorum) abſtrahere videatur. Ex quo illud intelligis, quod à nonnullis quæſitum eſt, quemadmodum ab eiuſmodi æterno principio nouus proximè nunquam proficiſcatur effectus. Idem propterea intellectus Agens, nobis intereuntibus non recedit, ſed remanet in corpore mortuo aliud iſtius opus adiuuans, & apud quancunq; rem & naturam diuinum ſuum & immortale collocans beneficium. Quartum ſimiliter argumentum Auerrois parum nos offendit: hic enim cum inquit, neceſſe eſſe, vt Agentem intellectum partem animæ noſtræ conſtituamus; quoniam in no-

ſtra poteſtate ſitum eſt, cum volumus, phantaſmata abſtrahere, eaq; actu efficere intelligibilia, & omnis noſtra actio à propria forma proficiſcitur; huic reſpondemus, ſatis eſſe, ſi in nobis inſit hæc virtus, qua rem tantam exequimur, & adſit animæ noſtræ: intellectus quippe Agens in nobis eſt, tanquam ſol, quo præſente colores inſpicimus. Ac ſummus, & omnia potens Deus cum omni tempore (ut paulò ante diximus) vbicunq; adſit, variaq; variis rebus munera largiatur, nil mirum, ſi nos cum volumus, illuſtrare phātaſmata, hęcq; actu intelligibilia facere poſsimus: quoniam inter cuncta animalia hoc à Deo præcipuum, & peculiare in nos homines beneficium confertur, quod præclarum quidem munus & præſtantiſsimum ſic nos ab illo accepimus, vt cæteris animantibus omnibus longè præſtamus. Cæterùm hic illud aduertendum eſt, non ideo Agentem intellectum illuſtrare phantaſmata, quòd ea intelligat, & cognoſcat: quanquam hoc cum aliter non poſſe exequi, Simon Portius aſſeuerauit, neq; enim Deus Opt. Max. ad phantaſmatum, & caducarum rerum notionem deſcendit: ſed duo habet munera intellectus Agens; alterum quidem eſt, illuſtrare phantaſmata, & hoc præſtat ſine vlla intelligentia phantaſmatum, perinde ac Sol, qui colores illuminando eos non percipit, ſed ſolùm efficit tales, vt actu à nobis videri poſsint. Alterum verò iſtius officium eſt ſe ipſum tantùm intelligendi: quippe quòd eius intellectio eſt ipſius met actus, atq; ſubſtantia: qui nihilominus ſe ipſum intelligendo omnia pariter alia percipit, & cognoſcit, ſed longè nobiliori, & perfectiori modo, quàm ab alia quauis mente comprehendatur, & à nobis excogitari poſsit. Quamobrem neq; phantaſmata aut in eis latentes formæ Agentis effugiunt intelligentiam, cum ipſe ſe ipſum tantùm intelligit: ſed nos illud aſſerimus, illuminationem phantaſmatum non eſſe eorum notionem, nec media eius fieri intellectione. Ad id verò, quod Ioannes Grammaticus aſſerebat, facilè reſponderi poteſt: propterea quòd nō modò cauſa rerum eſt Deus, ſed etiam effectuum, qui ab ipſis met rebus oriuntur: atq;, ut prima cauſa, ad omnium re-

rum

rum ortum concurrit; quatenus verò Agens dicitur intelle-
ctus, phantaſmata illuſtrando menti noſtræ præſtat intelli-
gentiam. Sed iam attingo poſtremum caput,quod nos val-
de vrgere videtur, & fortaſſe acutius inuentum eſt, quàm
iſtud Recentiores quidam Philoſophi potuerint explicare.
Nunc profectò in difficili loco verſamur: quoniam valde tri
tum, ac celebratum eſt illud axioma, Deum in terris nihil
omnino agere abſq; motu, & lumine corporum ſuperio-
rum. Simon igitur Portius, quem aliquando parem ſum-
mis Peripateticis iudico, hac in re ueritatē olfeciſſe videtur:
quippe inquit, adductam paulò ante ſententiam in eis tan-
tùm formis,atq; virtutibus accipiendam eſſe, quæ à naturali
materia recipiuntur. eam verò vim, qua phantaſmata actu
intelligibilia euadunt, in re materiata veluti in ſubiecto, mi-
nime recondi. Nos autem redeuntes ad eam comparationē,
quæ à lumine deſumpta eſt, atq; totius eſt huiuſce rei funda
mentum, apertius hunc locum explanare conabimur. Por-
rò phantaſma tametſi non eſt naturalis materia; attamen ma
teriale quidam exiſtit. Quare cum ſit ab omni materia ſepara
tus Deus, nihil profectò nec materiale, nec immateriale age
re in eo poterit, cum materiale, & abſtractum omnino in-
ter ſe agere ac pati nequeant; quoniam communem non ha
habent materiam. Sed enim cum ſupra dixerit Ariſtoteles,
intellectum Agentem æquè, ac lumen eſſe ratione phantaſ-
matum, aſſerendum eſt, nihil noui prorſus ab eo in phan-
taſmata prouenire; quid enim præſtat lumen? hoc ſcilicet,
quòd ſua præſentia colorem ſolùm actu viſibilem reddit; &
id ea ratione efficit, quoniam color, cum ex opaco, perſpi-
cuoq; conſtet, hocq; ab altero obſcuretur in tenebris,ut ap-
parere nequeat,deinde lumen accedens ita ſplendore ſuo
offundit opacum, ut perſpicua pars fulgeat, ac ſui ſpeciem
gignere, & oculum mouere poſsit. Nihil porrò recens,aut
materiale, vel immateriale lumen in colore efficit, ſed hoc
tantùm ei largitur, ut actu videri queat, cum antea tale pote-
ſtate eſſet. Quare lumen non eſt verum Agens, ſed tantum
agendi ratio, cauſa ſcilicet, qua color excitare oculum valeat.

Ita me hercle intellectus Agens non eſt verum efficiens, ſed cauſa tantùm, agendiq; ratio ipſi phantaſmati: quoniam dũ phantaſma actu intelligibile reddit, nil materiale, vel immateriale in eo efficit: at ſolum materiales omnes conditiones, & appendices, quæ vniuerſalem formam in phantaſmate exiſtentem obſcurant, atq; impediunt, ne intellectum noſtrum mouere poſsit, ſuo lumine, & præſentia ſic offundit, & obruit, vt ſola vniuerſalis appareat forma, eaq; ſui tũc ſpecie intellectum Potentia ad intelligentiam moueat. Agens quippe intellectus eſt veluti quidam habitus, qui nihil operatur, ſed alteri tantùm rei cauſa eſt, ratioq; agendi. Iam verò, cum perſæpe dixerimus, phantaſma ab intellectu Agente colluſtratum ſui ſpecie mouere intellectum Potentia, notandum eſt, eiuſmodi dictum non ea ratione accipiendum eſſe, quia phantaſma intelligibilem formam in intellectum introducat: hic enim communis eſt loquendi vſus, ſed aliter quidẽ ſe ſe res habet; quippe phantaſma intelligibilem formam non inducit, ſed eam ſola præſentia, ex intellectu Poſsibili educit, in qua inerat potentia: quemadmodum.n. naturale Agens in materiã primã verè formam non introducit, ſed ex illius poteſtate hanc dedu cit ad actum, ita propè euenit in intellectu Potentia: quippe qui, vt ſupra notauimus, omnium materia rerum intelligibilium dicitur, qui eas ſingulas poteſtate continet, & non actu, vt cenſuit Empedocles, qui ſimile ratione ſimilis actu in anima percipi aſſeuerabat. Ita verò in nobis propriè gigni intellectionem, ſæpe oſtendit Ariſtoteles in i i i. de Anima commentario: quippe qui inquit in v. ac x i i i i. contex. intellectum noſtrum potentiæ ſolum naturam habere, & eum eſſe intelligibilia omnia poteſtate: nihil verò actu exiſtere, antequam intelligat. Deinceps in x v i i i. ac x x x v i. context. ſubiungit Philoſophus, intellectum noſtrum fieri omnia, & res ipſas euadere. Ex quibus quidem locis rerum ſpecies, ac formas minime in intellectum noſtrum introduci; ſed ex eius poteſtate ad actum deduci, nobis ſignificatur. Cæterùm, cum iam omnia abſoluerimus, quę ad vtriuſq; intellectus diſputationem attinebant,

nebant, reliquum eſt, ut illud quod vltimo loco polliciti ſumus, exequamur: & à Theologis noſtris eam ſententiam repetamus, quam nos CHRISTO vnico veri DEI filio deuoti, & fideles conſtanter tenere debemus; ac euertamus omnia fundamenta, quæ contra hanc eſſe videntur cùm Ariſtotelis, tùm aliorum veterum non differentium, at delirantium Philoſophorum.

QVAE SIT VERA CHRISTIANO HOMINI DE *Humano intellectu mordicus affirmanda ſententia, & quibus rationibus fundamenta euertantur Philoſophorum, qui ſtruxerunt mortalitatem.*

Cap. XIII.

NOS hucuſq; perſpeximus, quemadmodum Ariſtoteles, perſiſtens in Naturæ principiis, eundem finem hominis, atq; rationem cum reliquis animalibus eſſe cenſuit: tametſi ita extulit hominem, ut ancipitem & naturam quandam mediam inter æterna & caduca eum obtinere voluerit; ſiquidem, cum iſtius anima è potentia materiæ educatur, eademq; dum illius deſtruitur ſubiectum, intereat, eandem prorſus aliarum caducarum & mortalium rerum ſequitur conditionem. Cum verò præter ſenſum, & altricem animã homo duplici intellectu ſit præditus, quorum alter, qui dicitur Agens, ab omni materiæ concretione & potentia ſegregatus eſt, atq; perpetuus, nullius omnino ortus, ſiue interitus capax; alter verò, qui Poſsibilis appellatur, non eſt item vllius certi corporis actus, & ideo rerum formas abſq; materia cognoſcere valet; immortalibus atq; beatis mentibus valde ſimilis eſſe videtur: quanquam ab earum deinde multũ recedat nobilitate: quòd hic intellectus Potentia abſq; obiecto corporeo, nempe phantaſmate percipere ne quicquam poteſt, ſemperq; in re ſingulari formam apprehendit vniuerſalem: neq; alterum, quem Agentem vocauimus, veluti propriã ſui partem ac formam vnquam conſequitur. Cæterùm

hæc

hæc Ariſtotelis opinio quàm lōge deſciſcat à veritate ita perſpicuum eſt nobis, qui ſacrarum literarum lumine illuſtrati ſumus, ut nihil certius, nihil planè exploratius æternitate animorum noſtrorum habeamus. Porrò Deus Opt. Max. poſtquam virtute ſeminis conſtructum eſt humanum corpus (iam enim de primi parentis noſtri corpore ſermonem non habeo, quod nulla interueniente creatura proximè à Deo formatum eſt) nec non exorta eſt alendi virtus, atq; ſentiendi, ſtatim & proximè intellectum noſtrum creat ex nihilo pulcherrimam ſanè eius imaginem: nos enim mente, & nō corpore facti ſumus ad exēplar illius, qui omnia genuit, principis Dei, cum in corporibus quædam potius veſtigia efficientis Dei, quàm veræ huius imagines, quæ ſpeciei ſimulachra ſunt, conſpiciantur. Qui quidem altricis ac ſentiendi animæ vires aſſumens (hę enim ſubitò ad eius aduentum euaneſcunt) corpori noſtro, tanquam propria ac vera illius forma coniungitur, nec nō ab infinita bonitate ſui ipſius Creatoris Dei illud conſequitur, vt nullo deinde tempore interire queat, at manſurus ſit æuo ſempiterno. Humana enim mēs, cum ſit forma ſimplex atq; ſubſiſtens, nempe (ut aiunt Theologi) per ſe eſſe, & operationem habeat, ex vlla vi materiæ, ac ſeminis proficiſci nequit: ſed neceſſe eſt, eam ſimiliter propriè vereq; fieri à Deo Opt. Max. cuius omnino ſolius eſt creare illa, quæ abſolutum habent eſſe. Hic verò ea nos valde non torqueant, quibus adductus ipſemet Ariſtoteles, ac plerique alii Naturales Philoſophi crediderunt, animos noſtros eſſe caducos atq; mortales, nempe quòd quicquid natum ſit, etiam intereat, ac fieri non poſſit, ut forma ſimplex & immortalis multiplicata ſecundum numerum in pluribus indiuiduis reperiatur: quemadmodum etiam valde abſurdum eſt, ut corpori caduco & fragili ęterna forma iungatur, & illud informet; ac præterea, cum ex eo exceſſerit, è loco ad locum feratur, vel iterum rediens (niſi infinitum actu admittere velimus) cum eo ſocietatem coeat. Quibus hæc iterum duo quis addere poſſet, quæ trita & vulgata ſunt in ſcholis Philoſophorum, animos noſtros à Deo proximè creari

nequa

nequaquam poſſe, cùm quia nihil Deus Opt. Max. infra lunam agit abſq; motu & lumine cœleſtium orbium: cùm verò, quoniam ex nihilo aliquid omnino fieri non poteſt. Hæc enim omnia ac cætera eiusdem generis, quæ incredibilia Philoſophis, & abſurdiſsima viſa ſunt, quippe qui poteſtatem Dei, & prouidentiam intuentes vtranq; parum attigerint, ac acie mentis hebeſcentes veram amiſerint diligentiam contemplandi; maximè credibilia atq; rationi conſona ſunt apud noſtros Theologos, itaq; debent eſſe apud nos omnes, qui in gratia & ſpiritu, videlicet in nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti baptizati ſumus. Atq;, ut iſtud magis appareat, omniſq; tollatur difficultas, & quibuſdam labor minuatur Philoſophiæ ſtudioſis, firmiſsimis rationibus paulò ante iacta fundamenta nos euertemus: tametſi vna ſanctiſsimorum Patrum auctoritas frangere debeat omnem inſolentiam Philoſophorum. Igitur cum velint iſti animos noſtros, quaſi capite damnatos morte mulctare; quòd omne ortum neceſſariò interire debeat, ignorant penitus duplicem eſſe rerum ortus, interitusq; rationem. Quædam enim cum per ſe non exiſtãt, ſicut per accidens tantùm fiunt, ita ſanè per accidens quoq; delentur, qualia ſunt accidentia, & omnes formæ in materiam immerſæ, quæ curſu generationis, nempe ratione compoſitorũ ſolùm oriuntur, atq; intereunt. Nonnulla verò ex altera parte, quibus datum eſt, ut per ſe ſubſiſtant, quemadmodum niſi propriè, ac per ſe fieri nequeunt, ſimplici vedelicet emanatione (nã vti iam licet ſanctiſsimis verbis Theologorum) ita etiam nullo modo per accidens, ſuorum nempe ſubiectorum, interitu deleri poſſunt: cæterùm, ut per ſe fiunt, ita etiam hæc per ſe interire neceſſe eſt, ſi tamen capacia ſint vllius interitus. Et huius generis eſt intellectus noſter, quem per ſe dicimus ſubſiſtentem eſſe ſubſtantiam: quoniam liber ac ſeparatus eſt ab omni materiæ concretione, nec inter operandum vllo indiget corpore; quod præſertim, oſtendit, cum ſolutus eſt è compedibus corporis. Sed eiuſmodi formæ per ſe ſubſiſtentes neq; etiam per ſe occidere poſſunt: cum enim iſtis per ſe eſſe conueniat

teniat, ſanè eſſe ab eis ſecerni non poteſt: etenim ſi vnquã eſſe deſinerent tales formæ, ipſę à ſe ipſis diſiungerentur, quod omnino fieri nequit: ſiquidem hic res compoſitas ea ſolùm de cauſa aſſerimus deleri, quòd in ijs materies à forma diſiungitur, cuius cauſa, nec per ſe dicebãtur exiſtere; atq; hoc euenit ratione contrarii; quod cum nullum habeat mens noſtra, ac cæteri diuini intellectus, ſed puræ ſint ac ſimplices formæ, vt dictum eſt, quæ proprio eſſe ſubſiſtunt, ſecundum naturam ſuam remanent immortales. Verùm hic ſiquis ambigeret, quî fieri poſsit, ut intellectus noſter ſit eadem numero res cum alendi, atq; ſentiẽdi anima, & illæ nihilominus corpore intereũte remaneat; hæ uerò extinguantur; ad hunc reſpondemus, nos ea ratione vnam tãtùm actu animam, ſcilicet intellectum, in homine collocare; propterea quod vnius rei vna tantùm eſt forma, à qua conſequitur, vt vna ſit & exiſtat; ac ne plura in eo animalia, tanquam plures homines in Troiano Equo, ponamus. Intellectus igitur ſentiendi uim et alendi ſecundum virtutem perinde obtinet, ac triangulus à quadrangulo continetur, & adhuc poſt mortem ſupereſt: quoniam cum ſecundum ſe immortalis exiſtat, nec ſentiendi nec alendi anima ab illo contentæ hanc auferre ei immortalitatem poſſunt. quæ quidem ab intellectu ſeiunctæ in reliquis animalibus mortales ſunt penitus atq; caducæ: in intellectu tamen, quòd prius eſſet fons & origo earum actionum, virtute ſolùm remanent poſt interitum hominis; quanquam actu deſtructæ eſſe dicuntur, quoniam diſſoluta ſunt organa, ſine quibus operari omnino nequeunt. Et ſi aliquando in ſacris literis legimus nos in altera vita vehementer lætari, vel dolere tum pœnarum, tum ratione præmiorum; nec non recordari ea, quæ hoc in ſeculo vidimus; eiuſmodi dolores & gaudia in appetitu intellectus noſtri, & non ſenſus, reponere debemus, ut etiã illius eſt ea benè vel malè actæ vitæ recordatio: non quia poſt mortem in intellectu præteritarum, ac ſingularium rerum memoriam remanere fateamur: ſed quoniam ille tunc ſpeciebus in eũ infuſis à Deo reuerti poteſt ad notitiam re-

rum

rum præteritarum; ad quas eiuſmodi ſpecies vel ob antecedentem notionem, vel propter aliquem affectum, vel habitudine naturali, ſeu diuina virtute eum determinant, atq; ad illarum reuocant cognitionem. Sed iam videamus, quēad modum in reliquis etiam dictis, quæ ſequuntur, valde peccarint antiqui Philoſophi. Negant ſimplicem, & ſeparatam formam ſecundum indiuiduorum numerum augeri poſſe, cum ſemper à materia talis oriatur multitudo. Atqui non vidēt iſti humanam mentem, quanquam eſt omnis omnino materię expers, ex qua fiat, certam nihilominus habere materiam, quam informet. Ex quo neceſſe eſt, ut ſecundum eiuſmodi materiæ diuiſionem eam pariter multiplicatam videamus. Verùm hanc eſſe alicuius materiæ formam, quod tertium erat obiectum, modò probandum eſt: nam multitudo animorum noſtrorum magis hinc etiam cōfirmabitur. Porrò cum videamus, illud apertiſsime conſequi, hominē non vnam & ſimplicem habiturum eſſe naturam, ſi eius forma non fuerit intellectus; & ex altera conſpiciamus parte, rationale veram eſſe hominis differentiam, qua hic diſtingui tur à cæteris animalibus; ac præterea intellectum eum eſſe, à quo intelligentia prouenit, quæ eſt propria ac præſtantiſsima hominis actio, & ea ſimiliter, qua vltimum nobis propoſitū finem conſequimur, qui in Dei Opt. Max. contemplatione verſatur; debemus conſtanter aſſeuerare, ipſum inquam intellectum veluti formam, cum corpore humano copulari: ſi quidem vera differentia ſemper à forma rei deducitur, ut etiam propria rei actio, & proprius finis atq; perfectio ex eadem forma naſcuntur. Atq; intellectus noſter, quanquam eſt forma ſimplex ac per ſe ſubſiſtens, nihilominus cum à præſtantia angelorum paulùm receſſerit, quòd ſuo in ortu plenam à Deo rerum non acceperit cognitionem, ſed eam ſenſus auxilio & phantaſię conſequi debuerit, operæ precium fuit, ut eiusmodi tēperamenti, ac tot variis & pulcherrimis organis expolito corpori iungeretur. ita enim ſanè humana ſpecies perficitur, & mens noſtra paulatim ſupera petens conſtitutum ſibi notionis finem attingit. quæ iccirco vi-

detur inter ſimplices ac ſeparatas formas infimũ gradum obtinuiſſe,& in confinio poſitam caducarum rerum & immortalium. Intellectus verò noſter, cum cęteris omnibus formis, quę materiam informent, quàm longiſsimè præſtet, quando iungitur corpori(quod nullo penitus medio corporeo, vel incorporeo euenit)non adeò in materiam immergitur, ut totus ab ea complectatur, quemadmodum accidit materiatis formis: ſed fit ex natura propria corporis forma; cum illud vniuerſum virtute ſua regat & adminiſtret,eoq; inter operandum ſæpe ac ſæpius vtatur: qui nihilominus in ſe purus ſimplexq; remanet,& ſolutus ab omni concretione materiæ: quoniam hic illud eſſe ſubſiſtens, quod per ſe habet, communicat corpori; vnde ex eo & corpore fit vnum ſimpliciter, nec totius eſſe compoſiti ab intellectus eſſe diuerſum eſt. quare hic deinde corpore deſtructo adhuc remanet incorruptus & immortalis. Sed quarto loco nobis occurunt Humani ſapientes: quippe qui non vident, qua ratione animus noſter, cum fuerit ſecretus à corpore, moueri poſsit, cum indiuiduus exiſtat & incorporeus. Atq; hic error inde fluxiſſe videtur, quòd res incorporeas, ſi mouerẽtur, æquè ac corpora motas iri exiſtimauerũt Atqui vtriſq; motus è loco ad locum æquiuoca prorſus ratione conuenit. Quippe Angeli (& idem facilius cenſendum erit de animis noſtris, qui minus nobiles ſunt & illuſtres)quo pacto obtinent locum, ita ſimiliter è loco ad locũ eos cieri dicimus. Angelos autem in loco eſſe aſſeueramus, non quia contineantur loco, eoq; circundentur, ut corpora: ſed quoniam virtute ſua locum attingunt. Quamobrem iidem ſe ſe è loco ad locum transferre videntur, cum alterum relinquẽtes locum ſe ſe ad alterum virtute propria applicant. Et quoniam Angeli mouentur propria voluntate, ideo aliquando tardior, aliquando velocior eſt eorũ motus,& aliquando continuus, aliquando vero non. Continuum ſanè & in cõtinuo tempore, dicimus, eſſe motum Angelorum: quoniam aliquando per ſucceſsionem quãdam,& medium è loco ad locum ſe ſe virtute applicare poſſunt, qui in plures partes diuidui ſunt,

atq; continui, quare hæc oritur continuatio à partibus loci ſibi ſuccedentibus, quæ tanguntur à virtute beatæ mentis, & non eo quod diuidua ſit eius ſubſtantia, & menſuræ loci ac temporis ſubijciatur. Iam verò cum oſtenderimus motionis è loco ad locum expertes non eſſe animos noſtros, videamus quæſo, qua iterum ratione cum ſuis poſsint cõſociari corporibus. Pythagoras & Democritus, Empedocles quin etiam & Plato, nõ plebeii quidem, ſed maximè illuſtres Philoſophi de hac re, ut cęteri, non viſi ſunt hæſitaſſe; qui nihilo minus iacẽtes in tenebris reſurrectionem corporum (iam.n. tritum eſt apud Chriſtianos, & vſu mollitum hoc verbum) apertè non cognouerunt: quippe qui decepti ſunt arbitrantes, vel eam ex tardiſsimo octaui orbis circuitu, quem magnum nuncupant annum, vel ex viciſsitudine Litis & Amicitiæ ſemel atq; iterum proficiſci; vel eundem animum non in idem numero corpus, ſed tantùm ſpecie, & diuerſum aliquando reuerti. Athenienſis verò Athenagoras hanc rem magis piè & religiosè, mea quidem ſententia pertractauit. Neq; menti noſtræ eam ſubtilius perſpiciendi, quàm fecerint Græci Philoſophi, lumen ſublatum eſt. Siquidem aliarum rerum circuitus, quos ſingulis diebus in hoc mundo cõſpicimus, reſurrectionẽ noſtram imitari, eamq; nobis ſignificare videntur. Lux enim ſolis, quæ quotidie quaſi intereundo oculis noſtris ſubtrahitur, & propè reuiuiſcẽs in oriẽte iterum ſurgit, nec non virgulta & arbores, quæ accedente hyeme amittunt viriditatem, ac verno tempore in vitã quaſi reuocatæ iterum virent ac frondeſcunt; ad hęc ſemina, quę putreſcendo moriuntur, ac pullulando iterum ſurgunt, quid medius fidius aliud ſibi velle videntur, niſi reſurrectionem noſtram, veluti exemplaria quædam nobis oſtendere? Huiuſce etiam rei ex eo nobis datum eſt ſignum, quòd omnes non modò in ſpecie, ſed in proprio etiam indiuiduo naturaliter perpetuitatem appetimus, cuius me hercule deſiderij compotes nos aliquando factos iri credẽdum eſt. Sed pręter hæc, cum homo conſtet ex anima & corpore, & longè antecellat omnibus rebus, quæ infra lunam à Deo creatæ ſunt,

neceſſum

neceſſum eſt etiam, ut præclariſsimus ei finis fuerit conſtitutus, quem aliquando conſequi debeat: niſi in re tanta velis aliquid fruſtra egiſſe, vel decreuiſſe totius mundi Opificem Deum. Ad hunc verò iam diximus finem procreatum eſſe hominem, ut aliquando, ſi rectè prudenterq; vixerit, Deũ Opt. Max. intuendo incredibili & infinita eius bonitate fruatur; vel in perpetuis iaceat angoribus & miſeriis, ſi nefariã impuramq; vitam traduxerit. Qui ſanè finis, cum in hac vita haberi non poſsit, nec ſolis etiam animis noſtris ſegregatis à corpore debeatur; quoniam homo non eſt mens ſola, vel corpus, ſed verè ex vtriſq; conſtat; atq; vt iis duabus compoſitus partibus vixit, & operatus eſt, iiſdem ſimiliter conſtãs actionum ſuarum mercedem accipere, vel pœnas luere debet, neceſſum eſt, ut animi noſtri cum corporibus iterum cõiungantur, quò homo propoſitum ſibi finem adipiſcatur. Atq; iidem numero animi cum iiſdem corporibus numero copulari neceſſe eſt: quoniam idẽ numero debet homo creationis ſuæ attingere terminum, cum fruſtra à Deo effectus non fuerit; ac propterea quòd, niſi eadem reſurgerent corpora, nec eoſdem numero reciperent animos, hæc potius noua operis effectio eſſet, quàm reſurrectio. Atq; hæc ſatis mihi videntur ad veterum Philoſophorum oſtendendam delirationem. Sed eiuſmodi licet rationibus contra dicentes Philoſophos reſurrectionem noſtram perſuadere valeamus, cum rei ſit naturalis, nempe hominis terminus: illud tamen addendum eſt, hanc à Natura, veluti à principio proficiſci nequaquam poſſe: quippe quod nullum agens, vel patiens naturale principium in materia vita defunctorũ corporum inuenitur, quod poſsit eſſe cauſa eorum reſurrectionis. Sed eiuſmodi effectus Naturæ vim excedit, & eſt valde mirabilis, ſolumq; oritur à diuina omnia potentis Dei virtute, qui quidem factus homo, vt hominis ſanguine proprio ſordes ablueret, cum poſt truculentam & acerbiſsimã eam mortem tertia reſurrexerit die, ratam & firmiſsimam nobis ſpem attulit noſtræ reſurrectionis. Chriſtus enim ea ratione, qua Deus eſt, cauſa dicitur prima, ac ferè æquiuoca reſurgendorum

ſurgendorum corporum: verùm deinde quatenus Deus eſt, & homo reſurgens, cauſa eſt proxima & propè vniuoca noſtræ reſurrectionis, cum nos omne cœleſte donum à Patre omnium Deo media Chriſti humanitate capiamus. Quamobrem nulli vera reſurrectione ante Chriſtum reſurrexerūt: ſed eos potius in hanc vitam reuocatos eſſe dixerimus, cum ille (ut inquit Apoſtolus) ſit primitiæ dormientium. Et quā quam Chriſti reſurrectio cauſa eſt efficiens, ut dixi, & exemplar noſtrę reſurrectionis; boni tamen viri, & mali reſurgētes multum inter ſe diſcrepabunt: nam reſurgemus quidem omnes: quòd omnes in naturalem vitam reſtituemur & omnis expertes interitus & diſſolutionis adeò, ut noſtra in poſterum corpora à nulla re vnquam diſſolui potuerint: ſed non omnes immutabimur (ut inquit viua & ſempiterna vox Dei Paulus Apoſtolus) quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, neq; corruptio incorruptelam poſſidebit. Quare tantùm boni cœleſti corpore & impatibili reſurgent futuri ſemper tùm in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hęc autem noſtra reſurrectio vſq; ad huius mundi finem differetur, quem ipſi Angeli, nedum nos homines, ignoramus; ac ſtultum eſt nimiſq; curioſum eū velle ſcrutari: quòd noſtrum non ſit noſcere tempora, vel momenta, quę poſuit pater in poteſtate ſua. Tunc enim nouiſſimum hunc diem videbimus, cum numerus filiorum Dei completus fuerit, ut à diuina eius voluntate decretum eſt. Et iccirco ſtatim Angeli à motu cœleſtium orbium deſiſtent, ad quos nunc verſandos pręfecti ſunt propter noſtram in primis vtilitatem, ac deinde propter aliarum rerum, quæ hîc fiunt, ortum & conſeruationem. Et ſi quorundam ſanctorum corporum reſurrectio minime producta eſt vſq; ad huius ſeculi conſumptionem, hoc ea peculiari gratia & priuilegio à Chriſto obtinuiſſe fatendum eſt, ſicut piè credimus Beatæ Virgini, ac Ioanni Euangeliſtæ fuiſſe conceſſum. Iam verò poſtremam illam partem attingo, in qua Philoſophi Deum aliquid proximè agere, & ex nihilo quicquam fieri poſſe negarunt. ij enim dum adhuc infans eſſet Philoſophia, omnia

nia

nia, quæ ſunt, concreta, & corporea eſſe arbitrantes, ſingulares tantùm rerum cauſas ſingularium aſsignauerunt: ac eadem deinceps adoleſcente tandem ad primam & vniuerſalem rerum cauſam peruenerunt. ſed in vtraq; harum contemplatione valde peccarunt gloriam & potētiam Dei Opt. Max. ſummopere imminuentes. ſiquidem hic vnus cum ſit ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, quæcunque alia ea tantùm ratione dicuntur exiſtere, propterea quod tale eſſe aliquo modo participiant. Quamobrem, ſi qua ſunt, quæ propriè habeãt eſſe, ac per ſe ſubſiſtant, quales formæ ſunt immortales ac ſeparatę, hæc à Deo proximè fieri neceſſe eſt: ipſum enim eſſe abſolutum, cum ſit effectus omnium maximè vniverſalis, & à nulla materia dependeat, à cauſa etiam maximè omnium vniuerſali, quæ creat ſine vlla ſubiecta materia, proximè oriri debet. Quamobrem illud axioma, Deum agere in hoc mundo inferiori medio motu & lumine corporum cœleſtium, ſolùm concedi debet in iis, quę propriè non fiunt, ſed formæ ſunt per materiæ commutationem, & è potentia eius eductæ, quæ ſine ea exiſtere nequeunt. Hîc enim Deus in ortu & commutatione rerũm, quæ materia & corpore coagmentantur, vtitur eius Angelis miniſteriis, & motu, ac lumine cœleſtium orbium, qui ab eis voluuntur partim tardiſsimè, partim velocius, partim celeritate mirabili. Simili porrò ratione, cum inquiunt, ex nihilo animum noſtrum à Deo creari non poſſe, cum ex nihilo nihil fiat, ſed cuicunq; agenti neceſſe eſſe ſubiectam habere materiæ ex qua illud, quod in potentia eſt, deducat in actum; reſpondemus, hoc verum eſſe in corporeis effectibus, quæ via generationis, & conuerſione materiæ ab efficiente etiam corporeo proficiſcuntur, vel ab eo, qui virtute corporea materiam commutando aliquid fabricatur. Nam præter hæc ea eſt actio, quæ ſine vlla omnino, generatione & mutatione abſoluitur, quæq; veteres latuit Philoſophos: & habemus alteram efficientem cauſam, nimirum Patrem diuũq; hominumq; Deum, cuius actioni nulla vnquam materia ſubijcitur: ſed conſtanter aſſeuerandum eſt, hunc omnia effi-

cere ex nihilo,quę facit. quicunq; enim aliquid facit ex aliquo, illud,ex quo facit ante actioni ſuæ ſupponit, nec illud ea efficit actione ſicut artifex ſtatuam format ex ligno vel ære,quæ prius à Natura effecta ſuſcipit: & eadem Natura ſimiliter ea,quæ agit, ſemper agit ex aliqua materia ſubiecta, cuius nec parens eſt,neq; procreatrix. Igitur ſi ſummus ac omnia arcens & continens Deus non ex nihilo, ſed ex aliqua re ſubiecta ſemper res ageret,neceſſe eſſet aliquando ut illud, quod ſubiiceretur eius actioni, minime ab eo, ſed ab alia cauſa profectum eſſet. quod adeò turpe eſt dicere, ut nihil quidem turpius dici, vel cogitari poſsit: omnia enim quę ſunt, à Deo veluti à cauſa omnium rerum vniuerſali, ſupra orta eſſe probauimus. Quin immo prima materies, quæ cuicunq; Naturę actioni ſubiicitur,ab ipſo Deo in initio mũdi ſimplici creatione emanauit: quamuis hic eam minime per ſe ſtantem, & omni priuatam foma,ſed exornatam aliquibus formis, & ſub eis latentem creauerit. Neq; verò aliquis hoc opus exiſtimet ullam ſummo Deo indignitatem afferre: quoniam potius illius gloriam & potentiam mirum in modum extollit: quippe qui cum ſit puriſsimus omnium & ſimpliciſsimus actus potuit, ac voluit vſq; ad illius rei creationem deſcendere, quæ à ſumma eius nobilitate ac præſtãtia quàm longiſsime diſtat,nobis oſtendens, quemadmodũ ab extremo ad extremum, nempe à perfectiſsima Angelorum forma vſq; ad materiæ primæ, quæ propè nihil eſt naturam imperfectiſsimam cuncta penitus ab eo creata ſunt,& ab eodem pendent,ac conſeruantur. Eiuſmodi ſanè ortus eſt, finisq; futurus animorũ noſtrorum, quicquid Hæretici, ac quidã Septentrionales populi, impii quidem atq; ſceleſti homines,aduerſus ſanctiſsima Romanæ Eccleſię decreta tot portentis ſuis hodie comminiſcantur. Quorum equidem neſcio, an deplorare miſeriam potius & calamitatem, vel tãtam eorum inſolentiam ac impietatem execrari debeamus. Nam pręter id, quòd ij perditi homines Romanorum Pontificum authoritatem & laudem immunere audent, quos in terris veros Dei miniſtros eſſe certò ſcimus,& in ijs præcipuè

ſummam ac ſempiternam Chriſti gloriam ſplendeſcere, magiſq; indies augeri, conſpicimus, iidem omnia diuina iura, & humana peruertentes eam ſibi delegerunt liberam viuendi rationem, quam non modò Chriſtianus, qui Chriſti, & ſanctiſsimorum hominum impreſſa veſtigia atq; Romanæ Eccleſię diuino quidem ſpiritu adminiſtratę mandata optimè nouit, abhorrere, multumq; reprehendere debeat; ſed etiam Gentilis inanium deorum cultor maximè vituperet ac deteſtetur, ut pote quę pecudum & plantarum eſt propria, nec vllo pacto homini conueniens, qui rationis mentiſq; cõpos exiſtat. Verùm hos in hac horribili cęcitate ſua relinctes, ſi Sacrarum literarum lumen eis tam copioſè porrectum adhuc pertinaces & opinioſi reſpuerè velint, eiſq; dignas tantę perfidię pœnas minitantes, quarũ iam ſigna in cœlo apertiſsima viderunt, perſequamur nos Sanctę & Auguſtę Romanę Eccleſię religionem, ſacroq; iſtius imperio & monitis vſq; ad mortem obedientes cunctas animi & corporis vires ad illud intendamus, vt dum priorem hanc degimus vitam, iuſtę & recte, pieq; viuamus, & operemur; quò in nouiſsimo die, in vltimo momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba non obſcuriſsimis & ponderoſis corporibus, & igni perpetuo tormentiſq; ſubiectis, verùm in claritate, in in agilitate, in ſpiritu, & omnino impatibiles virtute & gratia Domini noſtri IESV Chriſti ad ſempiternam gloriam & beatitudinem reſurgamus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM, QVAE IN HOC præcipuè opere notari poſſunt.

A

Actus ab eo, cuius eſt actus, ſeparari nequit. pagina 26. a

Actio duplex. 72. b

Analogi contemplatio eiuſdem ſpecierum præcedit diſputationem. 24. a

Analogi conſideratio à logico prætermittitur, quia eſt artifex quidam craſſus. 24. a

Angeli qua ratione dicantur moueri. 24. b.

Angeli propria uoluntate mouentur. 74. b

Angelorum motus qua ratione continuus eſt, & in tempore continuo. 74. b

Angeli mouent cœlum propter noſtram utilitatem, & aliarum, quæ hic ſunt, rerum, conſeruationem. 76. a

Animalium notitia ſcopus eſt Naturalis philoſophiæ. 20. b

Animæ ſcientia cur cæteris & ſubiecti nobilitate, & demonſtrandi ἀκρίβεια præſtet. 21. b

Animæ definitio ſecundum analogiá prædicatur, & terminis analogis conſtat. 25. a

Anima una tantùm numero eſt in homine, & ſedem propriá habet in corde. 27. b 73. b

Animæ potentiæ non ſunt accidentia. 27. b

Animæ partes loco & ſubiecto inter ſe minime diſtinguũtur. 28. a

Anima humana ex poſsibili Agenteq́; intellectu tanquam ex partibus ueris & proprijs non conſtituitur. 45. b

Anima tota cum omnibus ſuis uiribus in fœtu temporis momẽto oritur. 62. b

Anima omnis in ſemine uiri potententia continetur. 65. a

Ariſtoteles diuerſam ab alijs methodum habuit philoſophandi.

Ariſtotelis inuenta & rationes nihil prorſus religiõnem ac fidẽ noſtram offendunt. 4. a

Ariſtoteles uniuerſá philoſophiã, logicamq́; diſpoſuit. 19. a

Ariſtoteles alterius uitæ ſtatũ ignorauit. 6. a

Ariſtoteles cur aliquando poetarũ opiniones ſecutus fuerit. 67. a

Ariſtotelis fundamenta quomodo Theologorum rationibus euertantur.

B

Beatitudo hominis duplex. 42. b

Beatitudo ſuprema hominis, quæ ſit ex Ariſtotelis ſententia. 42. b 65. b

Beatitudo hominis uera quæ ſit ſecundum fidem & religionem noſtram. 66. a 75. b
Beatitudo humana qua ratione ab homine comparari poſsit. 43. a

C

Cogitatiua ſecundum Simplicianos dat eſſe homini. 5. b
Cogitatiuæ nulla habita fuit mentio ab Ariſtotele in ſuis libris. 10. a
Cogitatiua reijcitur. 10. a
Cauſa efficiẽs qua ratione à forma diſtinguatur. 65. b
Cauſa efficiens duplex. 76. b
Chriſtus eſt primitiæ dormiẽtium. 76. a

D

Democritus & Epicurus animum penitus interire putarunt. 1. a
Demonſtrationes mathematicæ propter quid aliarum certiſsimæ dicantur. 22. b
De Definitione prius gratia Demonſtrationis, deinde per ſe agitur in ſecundo libro poſteriorũ 69. a
Dei cognitio qua ratione à nobis cõparari poſsit uia naturali. 43. a
Deus quatenus ſecundum Ariſtotelem dicitur intellectus Agens à Naturali Philoſopho cõſideratur. 69. b
Deus eodem authore quanquam in nobis ineſt, motis tamen nobis nõ mouetur. 70. a
Deus humanum intellectum proximè creat ex nihilo. 72. b
Diuini uox atq; diuinitas quid ſignificent apud Ariſtotelẽ. 53. b
Deus eſt eſſe per ſe ſubſiſtens. 76. b
Deum agere in hoc mundo inferiori motu & lumine quomodo intelligatur. 76. b
Deo, dum agit, nulla materia ſubijcitur. 76. b
Deus à præſtantiſsima natura angelorum uſq; ad materiam primã omnia creauit & cõſeruat. 77. b

E

Eſſe effectus eſt maximè uniuerſali, & ideò ſolum à Deo proximè oriri debet. 76. b
Ex nihilo aliquid fieri poteſt. 76. b
Eſſe à formis per ſe ſubſiſtentibus ſecerni non poteſt. 73. b

F

Formæ ex ſe neq; intendi, neq; remitti poſſunt. 12. b
Formæ uel ſubiecti, uel contrarij ratione intereunt. 15. b
Formæ unà cum rebus oriuntur, atq; intereunt. 65. b

H

Habitus ſcientiarum in phantaſiæ organo, ueluti in ſubiecto proprio fundantur. 16. a
Habitus intellectus nunquam uiuẽte homine deſtrui poteſt. 17. a
Habitus ſcientiarum quo modo in intelle

intellectu ineſſe dicantur. 34. b
Habitus intellectus duo genera. 42. a
Hæreticorum prauitas uituperatur. 77.
Homo quare prius uitam plantæ, deinde animalis, tandem hominis degere dicatur. 61. b
Homo ſecundum mentem eſt imago Deíq; ſimulachrum. 72. b
Homo ad quem finem fuerit creatus à Deo. 75. b
Homo nō eſt mens ſola, nec corpus, ſed res ex utriſq; conſtās. 75. b
Homo ſuarum actionum, uel pœnas luere, uel præmium accipere debet. 75. b
Homo omne cœleſte donum à Deo accipit media Chriſti humanitate. 76. a
Homines boni ad ſempiternam gloriam, mali uerò ad perpetua tormenta reſurgent. 76. a 77.

I

Ideæ non dantur apud Ariſtotelē. 10. b
Infinitum ſiue corporeum, ſiue incorporeum actu inueniri non poteſt. 4. b
Interpretes Ariſtotelis quare ſæpe decipiantur. 3. a
Interpretis ueri munus. 3. a
Intellectum non eſſe unum numero in ſingulis hominibus probatur. 7. a
Intellectus noſter non eſt intelligentia. 8. a
Intellectus noſter abſq; phantaſia nequicquam intelligere poteſt. 13. a
Intellectus noſter ſecundum naturam propriam eſt pura ſoláq; potentia. 15. a 29. b
Intellectus noſtri ſubſtantia unà cū eius potentia deſtruitur. 15. a
Intellectiua anima eſt ſubſtātia per ſe ſubſiſtens. 73. a
Intellectiua anima eſt uera hominis forma. 28. a
Intellectus quare ad numerum hominum diuidatur. 74. a
Intellectus noſtri natura ſimilitudine ſenſus declaratur. 29. a
Intellectus quare impatibilis dicitur. 29. a
Intellectus noſter quomodo materiam primam intelligat. 30. a
Intellectus eſſe hominis formā probatur. 74. a
Intellectus noſter eſt ualde ſimilis primæ materiæ. 30. b
Intellectus noſter quare particula dictus ſit animæ. 31. b
Intellectus noſter quare loco, manuſq; ſimilis, & ſpecies ſpecierū dicatur. 32. b
Intellectus qua ratione actus corporis dicatur. 32. b
Intellectus noſter actu exiſtit beneficio animæ, cuius particula dicitur. 33. a
Intellectus quare ſimplex, immiſtus,

ſtus, & ſeparabilis dicatur. 33. a
Intellectus in habitu, uel ſecundum actum qui ſit. 33. b
Intellectus nunquam abijcit naturam poteſtatis, & ſemper indiget phantaſmatibus. 34. a
Intellectus nullam habet corporis partem, quam informet. 34. b
Intellectus in habitu a quibus poſſideatur. 35. a
Intellectus cum eſt in habitu ſe ipſum, intelligit, ut eſt pura ſimplexq; potentia. 35. a
Intellectus quo modo ſub ſenſum cadat. 35. b
Intellectus quo modo ſingula fieri dicatur. 36. a
Intellectus quid ſit obiectum proprium. 36. a
Intellectus quo modo ſingulare percipiat. 35. b
Intellectus triplicem habet intelligendi actum. 37. b
Intellectus non fallitur in ſimplici rerum apprehenſione. 38. a
Intellectus noſtri intelligentia quã à beatarum mentium intellectione differat. 38. b
Intellectus quid primò cognoſcat. 40. a
Intellectus practicus & ſpeculatiuus qui ſit. 42. b
Intellectus poſſibilis natura propria rem percipit intelligibilem. 45. b
Intellectus poſſibilis naturalis finis eſt hominis, et à humani corporis temperamento proficiſcitur. 54. a
Intellectus quare ſimplex, immixtus. 57. a
Intellectus noſter quomodo ſeparabilis, non ſeparabilis à reliquis partibus animæ. 57. a
Intellectus noſter eſt actu intelligibilis ſicut beatæ mentes. 59. a
Intellectus noſter non indiget intellectu agente, qui eum actu reddat intelligibile. 59. a
Intellectus noſter quibus rebus cum agente conueniat, & quibus ab eo diſiungatur. 60. b
Intellectus quomodo accedat extrinſecus ſecundum Ariſtotelem. 63. b
Intellectus tanquam forma coniungitur corpori. 72. b
Intellectus noſter à bonitate ſui ipſius Creatoris Dei accipit æternitatem. 72. b
Intellectus humanus eſt forma ſimplex atq; ſubſiſtẽs, ac per ſe eſſe, & operationem habet. 72. b
Intellectus humanus niſi à Deo Creari non poteſt. 72. b
Intellectus quomodo notionis finem attingat. 74. a
Intellectus diuini non carent omnino materia et potẽtia reali 47. a
Intellectus nullo medio corporeo, uel incorporeo iungitur corpori. 74. b.
Intellectus eſſe non differt ab eſſe
compo

compoſiti. 74. b
Intellectus quomodo moueatur, & loco ad locum. 74. b
Intellectus ſecundum uirtutem continet ſenſum, & altricem animam. 73. b
Intellectus quomodo recordetur in altera uita res præteritas. 73. b
Intellectus quare dicitur paulùm receſſiſſe à natura Angelorum. 74. a
Intellectus agens eſt res omnino diſtincta à poſſibili. 13. b
Intellectus agentis cum poſſibili cõiunctio haberi non poteſt in hoc ſtatu uitæ. 43. b
Intellectus agens quomodo illuſtret phantaſmata. 45. a
Intellectus agẽs eſt ſimilis lumini. 45. a
Intellectus agens non uere agit ſed ſolum eſt agendi ratio ipſi phantaſmati. 45. a
Intellectus agens potius gratia intellectionis quàm phantaſmatum tributus eſt nobis. 45. a
Intellectus agentis natura quæ ſit 45. b
Intellectus agens opponitur poſſibili. 45. b 46. b
Intellectus agens non eſt pars animæ noſtræ. 46 a b
Intellectus agens eſt Deus Opt. Max. ex Ariſtotelis ſententia. 47. a
Intellectus agentis diſputatio gratia intellectus poſſibilis habita eſt in iii. Animæ lib. 68. a
Intellectus agens perpetuò phantaſmata illuminat. 70 a
Intellectus, agens phantaſmata non illuſtrat ea intelligendo. 70. a
Intellectus agentis duo ſunt munera abſtrahendi, & ſe ipſum intelligendi. 70. b
Intellectus agens quo ad quæſtionẽ Quid eſt etiam a Naturali conſideratur. 69. b
Intellectio noſtra ſemper aliquid temporis poſtulat. 39. a
Intellectus eſt duplex. 59. a

L

Libri Phiſicorum primi quinq; de principiis, reliqui tres de motu inſcribuntur. 68. b
Logica duplex uniuerſalis, & particularis. 23. b

M

Materiæ diſputatio formæ tractationi antecedit. 21.
Materia prima ſecundum naturam propriam obtinuit potentiam, reliqua uerò per participationem. 31. b
Materia prima à Deo ſimplici creatione emanauit. 77. a
Manus quare organum organorum dicitur. 32. b
Memoria paſſio eſt ſenſus non in-

tellectus. 34. a
Motus in primis quinq; libris Phyſicorum, quatenus a Natura oritur, & in naturalibus rebus uerſatur, deinde uerò ſecundum ſe in reliquis tribus conſideretur. 68. b
Mens humana non habet materiam ex qua fiat, ſed quam informet. 74. a

N

Naturalis Philoſophus quouſq; progredi debeat in formæ contemplatione. 53. a
Naturalis formam materialem à diuina poteſt ſeiungere, dummodo ſub phyſica ratione diuinam conſideret. 69 b
Naturalis etiam quid eſt ſeparatæ formæ poteſt attingere, ſi eam ſub ratione phyſica, nec abſolute conſideret. 70. a

P

Potentiæ genus eſt duplex. 31. a
Potentia patiens eſt ſubſtantia. 31. b
Potentia realis, nedum logica reperitur in diuinis intellectibus. 32. a
Phantaſiæ ac ſenſus iudicium ſemper fiunt in tempore. 40. a
Phantaſma non propriè formam introducit in intellectum potentia:
ſed ex illius poteſtate eam deducit ad actum. 71. b
Philoſophiæ laudes. 49. b. 50.
Princeps eſt miniſter & imago Dei 49. a
Principes qui Philoſophis delectati ſunt. 49. b
Philoſophi ueteres gloriam, & potentiam Dei Opt. Max. imminuerunt. 77. a

Q

Quæſtio quid eſt tam intellectus poſſibilis, quàm Agentis in iii. de Anima libro explicatur. 9. a
Quædam ex ſe cum ſimpliciem habeāt naturam, intelligibilia ſunt, at deinde ad intellectum noſtrum relata, cum phantaſmata ſui non procreent, fiunt difficilia cognitu. 59. b
Quædam ſunt per ſe, quędā per accidens. 73. a

R

Res caducæ & materiatæ ratione formæ in eis repertæ ſunt intelligibiles. 59. a
Res ſimplicesq; naturæ materiæ expertes ſunt ex ſe, & actu intelligibiles. 59. b
Reſurrectio uera corporum latuit antiquos philoſophos. 75. a
Reſurrectio noſtra, quibus rationibus & coniecturis probari poſſit. 75. a

Reſurre

Reſurrectio debet fieri in iiſdem numero animis & corporibus. 75. b

Reſurrectio eſt terminns hominis. 75. b

Reſurrectio à Naturali principio proficiſci nequit. 75. b

Reſurrectio eſt effectus mirabilis, & à ſolo Deo proficiſci poteſt. 75. b

Reſurrectionis prima cauſa ac ferè æquiuoca dicitur Chriſtus ea ratione, qua deus eſt. 75. b

Reſurrectionis cauſa proxima & propè uniuoca eſt Chriſtus, quatenus Deus, & homo reſurgens. 76. a

Reſurrectione uera nemo ante Chriſtum reſurrexit. 76. a

Reſurrectio Chriſti cauſa eſt efficiens, & exemplar noſtræ reſurrectionis. 76. a

Reſurgentes boni, & mali inter ſe ualde diſcrepabunt. 76. a

Reſurrectio uſq; ad finem mundi differetur. 76. a

Reſurrectio, quando erit homines & angeli ignorant. 76. a

Reſurrectionis diem uelle ſcrutari, eſt nimis curioſum. 76. a

Reſurrectio corporum quando erit, æſtimabitur cœlum 76. a

Reſurrectio aliquorum ſanctorum, uſq; ad finem huius ſeculi minime producta eſt. 76. a

S

Sanguis multus atq; puriſsimus cauſa eſt efficiens rectæ hominis figuræ. 54. a

Senſus & altrix anima uirtute ſolùm remanent in intellectu poſt mortem. 73. b

Semen ab externo principio motum huius deinde uirtute gignit membra conceptus. 62. a

Semina & conceptus nondum ſoluti ab utero altricem animam, ſenſum, & intellectum potentia obtinent. 62. a

Sentiendi animæ prima perfectio dicitur extrinſecus proficiſci. 64. a

Separabile quot modis dicatur. 57. a

Scientiæ in nobis oriuntur, atq; intereunt. 61. a

Scientia de Anima non eſt media inter Naturalem atq; diuinam 8. a

Simon Portius reprehenditur. 32. b 58. b 59. a 61. b 63. b

Simon Portius commendatur. 2. a 65. a

Singulare ab intellectu etiam percipitur. 36. b

Singulare ab intellectu comprehendi demonſtratur 37. a

V

Vniuerſale phyſicũ quid ſit. 36. a

Vniuerſale logicum quid ſit. 36. a

X

Ego Frater Vincentius Spargiatus Bononienſis Prædi
catorij Ordinis, Vicarius Reuerendi Inquiſitoris Bo-
nienſis vidi, & examinaui hunc librum de Humano
Intellectu, nihilq; in iſto reperiens, quod Sanctæ
Romanæ Eccleſiæ, et ſacris Canonibus repugna
ret ac refragaretur, conceſsi Catholico
Authori huius voluminis facultatem
tradendi ipſum Calcogra-
phis imprimen-
dum.

ERRORES, QVI INTER EXCVDENdum obrepſerunt, ſic corrigito.

	pagina.	uerſu
à præſtantiſsimi	1	a 26
ab Ariſtotelia	5	a 31
omnem	6	a 9
progreſſæ ſunt	6	a 28
in homine	6	a 35
gignatur	7	b 30
Deum Opt. Max.	9	b 5
ὑπόληψις	10	a 23
ὑπολήψιος	10	a 29
ullo modo	10	a 31
inueniuntur	11	a 31
progredi	12	b 1
ullo modo	12	b 18
intelligere	12	b 34
iunctam	15	b 30
in homine	18	a 25
habitu	19	a 11
inſcripti ſunt.	20	b 19
imperfectam	21	a 10
cum ob	22	b 13
ex utraq;	22	b 21
definitio	23	a 19
uniuerſales	24	a 17
corpus eſſe	25	b 28
explicandam. itaq;	26	a 2
ſeparari	26	a 16
ex his	26	b 35
δυνάμει & δυνατός	28	b 11
Ariſtotelis	33	a 24
in intellectu	43	a 13
quoniã hinc oritur, ut modò	34	a 13
aliter fieri	37	a 16
qua illi	37	b 6
immortales	37	b 27
iam parta	41	a 38
inſteteris	41	a 30
fluit, neq; generationem	41	a 36
ex ijs caducis	43	a 34
contra	44	b 8
propterea	45	b 28
ὢν	47	a 28
ἐνεργείᾳ	47	a 30
& politiores	49	a 11
eamq́;	49	a 30
tantam	49	b 29
alia uis	50	a 9
ſui iuris	50	a 32
ſe obcæcari	50	a 30
quàm	50	b 35
diuinam	54	a 4
quoniam	54	a 9
enim tardiorem	54	b 11
Philoponus	55	b 34
Grammaticus	56	a 2
ſeparabilis	60	b 2
interit	61	a 27
Portius	61	b 8
præcipuè	68	a 10
parere	68	a 11